IN

# SECVNDÆ

partis catechiſmi,

(quæ eſt de ſimbolo quod Apoſtolicum vocant, & fidei articulis) enarrationem, de Fide, & Inſtificatione, præfatio: authore Patricio Cocburno Scoto.

*

*Excuſſum Londini in officina Ioannis Daij Typographi.*

ANNO. 1561.

BRITISH MUSEUM

## Ad Lectorem.

*Irari forsan* potes lector cãdidissime, quód a præfatione in secũdã catechismi partem, prima illius parte prætermissa, sim ausspicatus. Si causſam expenderis, mirari desines. Ignota scribẽtis facies, nomenq; obscurum, et desperata lucri spes, obstabant, ne typographi integrum opus excudendum susciperent. Quód facultates, vtréſq; meæ totius operis æditioni haud sufficiebãt, hoc ego mẽbrum quod in lucem exeat potissimum delegi, quód per se quodam modo, & si integrum corpus nõ adesset, constare posse videretur, cetera nisi in corpore cõpacta, non item. Noli itaq; meæ vel ignauiæ vel negligentiæ imputare, quód integrum opus non acceperis: Quó expectationi tuæ satisfieret, præstiti quod prestare potui: Supra vires conari, multi multa, at præstare quidquam, nemo vnquã potuit: vbi facultas adfuerit, non deerit voluntas. Dices, quando quod reliquum est operis (exiguũ



est hoc

est hoc quod vides, præ eo quod supereſt) expectabimus? Niſi deus typographorum animos ad operam preſtandam impulerit, aut facultates mihi (quibus queam illorum votis ſatisfacere, quæ, eam quam querunt pro labore mercedem ſuppeditẽt) dederit: Diu expectabis: diu deſiderabis. Expectes licet, & deſideres, ne deſperes. In prima illa æditione libelli, quem de peccato in ſpiritum ſanctum, & deſcripturæ ſacræ phraſi vulgari inſcripſimus lutetiæ, quanto labore, quãta cum difficultate opus in lucem exiit, nouit dominus, & ipſe noui: Vbi vero ex labore noſtro typographi odorem lucri ſenſerũt, quod præſens apud præſẽtes vix prece pretio potui obtinere, iterum me abſente, opus vltro typis commendarunt. Verum etſi nulla lucri ſpes effulcerit, non eſt quód de inſtituto ſãcto deſperemus, quia viuit dominus in cuius manu ſunt hominum corda: viuit dominus, qui pro ſua bona volũtate poteſt præſtare omnia: in quo & tu, vt bene valeas, ac viuas, et vt hanc noſtram, quam in gratiam ſtudioſorum operam præſtitimus, pro ingenii tui candore boni conſulas, vehementer etiam atq; etiam oro.

Vale Londini Calendis Maiis.
Anno domini. 1561.

De fidei natura, definitione, seu descriptione dicturo, operæ pretium visum est, ab origine omnia deducere, ac de variis huius vocabuli significationibus, dè quæ variis hominũ circa illius definitionem sententiis, et opinionibus, prius differere, quàm ad eam definitionem seu descriptionem, quæ mihi probabilis maxime videtur, accingar.

Vocabulum fidei, varie vsurpatum videmus. Cicero officiorum, libro primo, vocat fidem dictorum, & cõuentorum constantiam, & veritatem: quæ iustitiæ, qua cum proximis recte viuitur, fundamentum est: ita appellatam, quia fit quod dictũ est. vnde bona fide, agere dicimus eum, qui diligenter, ac vere agit, quod agendum suscepit? Verum hæc non est illa fides, (& si valde commendanda) de qua nobis in præsentiarum sermo est: quoniam si hæc illa esset fides, cui deus imputat iustitiam, Turcæ & Gentes, quæ extra testamẽ-

tum

tum sunt, & deum non habent, damnatis nobis Christianis, iustificarentur & seruarentur: quoniam istac fide longe nobis antecellunt. Est itaq; hæc fides, in eo qui ex fide viuit, iusto, iustificantis fidei potius opus, seu fructus, quam fides appellanda. Sunt qui fidem, certam de re quapiam persuasionem dicunt: quòd non tantum credulitatem, sed firmitatem & certitudinem significet: iuxta illud psal: rectum est verbum domini, & omnia opera eius in fide: quasi dicat certa, firma, stabilia, quæ definitio propius ad naturam fidei nostræ, qua iustificantur impij, viuunt pij, accedit. Inter Christianos autem, qui titulo tantum tenus Christiani sunt, quiq; christianissimi videntur sibi, tam variæ sunt opiniones, de fide, tamq; multæ, vt earum neq; modus sit vllus, neq; finis. Alij satis arbitrantur, si in numerum christianorum baptismo sint recepti, & Christiani vocentur: cum interim tantū abest, vt deo, fidant, vt ne credant quidem esse deum: ore licet profiteantur, factis negant: Vel si credant deum esse, non curare eum res humanas arbitrantur: nō remuneratorem ad se accedentium, nec malorum vindicem. Tantumq; abest vt credant Christum, deum

Psal. 35.

deum pariter & hominem, humani generis redemptorem, vt nihil credant minus. Præsentibus tantum adficiuntur, futurorum spem non habentes: veluti mutæ pecudes concupiscentiam ducem sequuntur, quo fert libido: animæ interitum, vna cum corpore expectantes, quales olim fuerũt Epicurei, & nostro seculo Anabaptistæ quidam, gentium philosophis miseriores, qui vnum deum, & animarum immortalitatem sunt confessi, ac ipso etiam diabolo hac in parte inferiores, qui vt testatur diuus Iacobus credit deum esse et contremiscit. Quam sunt ijs similes qui in ecclesia primas sibi vendicant, eorum opera testantur. Istorũ Epicureorum adhuc plenus est mundus, dicentiũ in cordibus suis non esse deum, qui & si lingua & ore mentientes deum se nosse fateantur, factis tamen plane negant: non est hæc illa fides quam respicit, ac probat deus: qua iustificantur impij, viuunt pij: Non fides hæc, sed infidelitas iure debet appellari. Alij fidẽ nil arbritrantur aliud quã assensum euangelicæ historiæ, qua credunt deum esse, veraq; omnia, quæcunq; dixit: Christi sanguine, ac morte, redemptum humanum genus, a mortuis resurrexisse, ascendisse in cœlum, sedere ad

dexteram

dexteram patris, venturumque ad iudicandum viuos, & mortuos, ignorantes interim, quid emolumenti, aut fructus, hac morte & resurrectione humano generi sit partum: nihil fidentes, dei promissionibus, quum eas ad sese minime arbitrentur pertinere: Hæc fides historica, non absimilis est ethnicorum illi fidei, quam habebant suis figmentis, et deorum suorum ementitis gestis, & qualem nos nostris habemus annalibus, quam fidem adeo non vult Christianam dici, Iacobus, ut eam insigni scilicet epitheto ornans vocet diabolicam, nam hoc modo inquit, demones credunt & contremiscunt: Hæc fides quæ diabolo cõmunis est, fidei vel vmbra, vel larua, potius quam fides dicenda est.

Alij fidem vocant non tantum assensum euangelicæ historiæ, qua quis credit deum esse, dei filiũ incarnatum, hominem natũ, ex virgine, passum, mortuum, & sepultum: verum, vt ipsi aiunt, se Christi sanguine redemptos, credunt æternæ vitæ hæredes, per & propter Christum, electos se, & prædestinatos: quum interim sint, blasphemi, perfidi, homicidæ, adulteri, auari, patriæ ac parentũ proditores, scelere, ac turpitudine madentes, vniuersis denique peccatorum fecibus coinquinati,

habentes

habentes in ore verbum domini, verbum domini, quemadmodum & olim iudæi, templum domini, tẽplũ domini, quibus tamen propheta Hieremias improperat quòd nulli magis prophanarunt templum domini, vos feciſtis inquit templum domini, ſpeluncam latronũ: ſic & nulli plus ijs, verbũ domini prophanant, verbum & domini nomẽ benedictum, male audit, & ab alijs, etiã etnicis deſpectui habetur. Habent enim, vt eſt in Prouerbio, deum in extremis oris labiis, & diabolum intus alunt in pectore, occaſionem dant ponentibus manũ ad aratrum domini, vt retrahant, non ponentibus autem, ne auſcultare vnquã velint: Omnibus rùinæ prebent occaſionem, & iis qui verbum non audierunt, ne audiant, & ijs qui audierunt, vt verbum reſpuant: Arbitrantur enim, quòd vita de verbo gloriantium, verbis non reſpondeat, mentitum eſſe qui verbum ſit profeſſus: ideoq; nec audiendum, nec amplexandũ quod prædicat: ſed reiiciendnm potius, vt fabulam, vt mendatium. Et quemadmodum de iudæis. Ro. 2. loquens Apoſtolus, qui de lege gloriaris, per legis tranſgreſſionem deum dehoneſtas: Ita, & hi de fide gloriantes, deum & fidem, abnegant, & blaſphemant: quam fidem haud immerito vocat diuus Iacobus otioſam & mortuam. Sicut corpus ſine anima

Hiere. 7.

Rom. 2.

Iaco. 2.

mortuum est, ita fides sine bonis operibus mortua est. Tantumq; abest vt sit fides, vt sit stulta de fide, & sine fide, opinio, arrogans præsumptio, superba confidentia: vt sit dei, atq; fidei, contemptus, ludibrium, contumelia, blasphemia: Superba enim & vana loquentes, inquit Petrus, pellitiunt in desideriis carnis, eos, qui paululum effugerũt, libertatem illis promittentes, cum ipsi sint serui corruptionis. 2. Pet. 2.

Vos in libertatem vocati estis, inquit Paulus, verũ ne libertatem detis in occasionem carni. Et Petrus, quasi liberi, & non quasi velamen malitiæ, habentes libertatem, sed vt serui Dei. Galat. 4. 1. Pet. 3.

Nou vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem, hec est voluntas dei sanctificatio vestri, inquit Paulus. Et Petrus, sancti estote, quoniam ego sanctus sum, dicit dominus. Dicit item seruator, non omnis qui dicit mihi, domine, domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis est. Nolite errare, inquit Paulus, quoniã omnis fornicator, aut auarus, qui est idolorum cultor, non habet hæreditatem, in regno Christi, & Dei. 1. Thes. 4. 1. Pet. 1. Ephe. 5.

Non misit Deus vnigenitum filium suum in mundum, vt peccatum excitet, sed vt peccatum damnet ac tollat, non vt licentius ab hominibus peccetur: minister mortis non est, sed author vitæ. Nam cui te

seruum

seruum prebes ad obediendum, illius es seruus, cui obedis, siue peccati ad mortem, siue obedientiæ, ad iustitiam. Rom. 7. Fidendum dices tam pretiosæ hostiæ pro peccatis oblatæ: Fidendum sane, at non est negligenda: pro omnibus mortuus est Christus, inquit Paulus, vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. Si peccauerimus, inquis, habemus aduocatum apud patrẽ, Iesum Christum, iustum: procul omni dubio iustum, vt quo patrocinante, credentibus propitium fieri patrem, et peccata, pœnitentibus, remissa, non dubitemus: Non autem, vt perseuerantes in peccatis, & exultantes in rebus pessimis, ipsum tum iudicem, tũ patronum, aspernemur negligamus ve. Christus in hunc mundum venit, inquies, vt peccata mundi tolleret, & saluos faceret peccatores. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus: verum cuius tollendi caussa venerat, illius vel admittendi, vel prætexendi, nusquã dedit occasionem. Non vt stabiliret, sed vt dissolueret opera diaboli, venit dominus. Toto itaq; errant cœlo, terraq;, qui hanc stultam, ac insanam, præsumptionem, pro fide venditant, quum sit nihilminus. Elegit nos deus, non vt peccemus, non vt grassemur, sed vt essemus sancti, & irreprehensibiles per charitatem. Qui Christi sunt, carnem suam cru-

Rom. 7.

2. Cori. 5. 6.

1. Ioan. 2.

Ephes. 1. Gala. 6.

am crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs Et
1.Pet.2. Petrus. Christus portauit peccata nostra, inquit, in
corpore suo, super lignum, vt peccatis mortui, iusti-
tiæ viuamus Nam qui opera carnis faciunt, cuius-
modi sunt, fornicatio, immũditia, scurrilitas, turpi
loquium, idolorum, seruitus, dissentiones, sectæ, in-
uidiæ, homicidia, adulteria, cõmessationes, & ebrie
Ephe.5. tates, & his similia, regnum dei non consequentur.
Gala.6.
1.Cori.6 Tantum itaq; abest vt sit hæc præsumptio, digna fi-
dei nomine, vt sit indigna, quæ vel vmbra fidei, no-
minetur.

Magna pars Christianorum, fidem nihil aliud ar-
bitrantur, quam sacro haptismo lauari, in gregem
christianorũ recipi, parentibus prognatũ esse chri-
stianis: et maiorũ demũ fidë, & ecclesiæ, ore tenus
profiteri: Cum interim ignorent penitus, quid sit
christianismus, quid deus pater per filiũ nobis præ-
stiterit, num velit esse propitius, num propter nos,
& nostram salutem, mortuus sit Christus: tantum-
que abest, vt intelligant, quid eccclesia & maiores
seuserint de fide, vt nihil sciant minus. Hec crassa
quædam, & stupida ignorantia potius quam fides
Cypria- dicenda est. Diuus Cypriauus Chartaginensis Episcopus, & martyr, in libro epistolarũ. 2. de sacramen
nus. to dominicj calicis, ad Cecilium: Quum solus christus

audiri

audiri debeat, inquit, sicut pater de ipso contestatur dicens, hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite: Non debemus attendere, quid alij ante nos fecerunt, sed quid, qui ante omnes est, Christus, faciendum putauerit. Neq; hic hominis consuetudinem sequi oportet, sed dei veritatem: ne cum illis censeamur, quibus dictum est: Reiecistis mandatū dei, vt tradicionem vestrā seruetis. Itē dominus deus, per os Ezechielis. 18. Filius non portabit iniquitatē patris, neq; pater iniquitatem filij, sed anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Et Paulus, vnusquisq; suum onus portabit, vbi Hieronimus sic dicit, quum ante tribunal Christi venerimus, non Iob, non Daniel, non Noe, orare posse pro quoquam, sed vnumquemque portare suum onus. Ezech. 18 Galath. 6

Satis ne videtur aqua baptismi lotum esse, & Christianum ex Christianis esse prognatum, & ex fide pendere tantū aliena? Respondeat diuus Hieronimus in epistola quam scribit ad Ctesiphontem. In adultis inquit non sufficit aqua baptizato, quæ credentis animum non attingat, sed & verbum, quo cōtingi, & mundari, cor possit, accipiat, oportet: quia si aqua contentus sit ille, qui credidisse se dicit, quod membra extrinsecus diluuntur, et verbum quo gloriatur anima, non requirit, iam non ex corde, sed Hieronimus.

ex cor-

ex corpore credidisse dicetur: quod nequaquã posse fieri ratione vlla conceditur: vt sine intelligentia mentis, solum corpus peculiarẽ intelligentiam habere iudicetur. Per aquam & verbum mundari ecclesiam dicit Apostolus. Et Christus dominus, vos mundi estis propter sermonẽ, inquit, quem locutus sum vobis, non dixit propter quod loti estis, sed propter sermonem, quem audistis. Hactenus Hieronimus.

Ephes. 5.

Augustinus.

Respondeat item Augustinus in. c. 1 in Io tracta. 6. putas te militarem? inquit. Si characterem imperatoris tui intus habeas, securus militas. Sin extra tãtum habeas, nõ solum ad militiam tibi non prodest, sed pro desertore militiæ punieris. Baptisma nos saluos facit inquit Petrus, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio apud deum. Non igitnr in sepulchro parentum, nec in pontificũ seu monachorum pectore fidem habeas, quam fidem nescis: sed intus in corde tuo, intus in animo tuo sit oportet. Nam corde creditur (non alieno, sed meo mihi, tuo tibi, & suo cuiq; sibi) ad iustitiam inquit Paulus: & qui non crediderit condemnabitur dicit dominus.

1. Pet. 3.

Rom. 10.

Nõn magis tibi profuerit parentibus natum esse Christianis, & patrũ consuetudo, nisi corde crediderit tuo, nisi conditiones fœderis seruaueris ipse,

quam

quàm Iudæis profuerat nomen Israhelis, qui de patre etiam Abrahamo gloriantes, semen illud Abrahæ benedictũ, Christum dei filiũ, morti tradiderũt: dicentes nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori.

Quid quæso Adami fides in verbo promissionis, semen mulieris cõteret serpentis caput, profuit Cayno? quid fides Noe Chamo, filio nequã? quid Abrahami fides Ismaheli, filio ex ancilla Agar, de hæreditate expulso? quid Isaaci fides, reprobato Esau? quid Samuelis sanctimonia, Iohelj, cæterisq; filijs, corruptissimis, qui munera acceperũt, & iuditium iustum peruerterunt? Stat sententia, filius non portabit iniquitatem patris, nec pater portabit iniquitatem filij, quin obedientia patris non liberabit filiũ impium, dicit dominus deus exercituũ, deus Israel. Ezechiel. 14. Si fuerint tres viri isti, in medio terre huius, Iob, Daniel, & Noe, neque filios neq; filias suas liberabunt, ipsi soli in iusticia sua liberabuntur, terra autem desolabitur. Ezech. 14

Tam non credenti tibi proderit verbum Ecclesia, quam non profuit Iudæis, in ore habuisse templum domini, templum domini, quibus tamen exprobrat Hieremias capite septimo, quòd fecerunt templum domini speluncam latronum. Hiere. 7.

Tam

Tam non proderit patrum fides adultis ipſis, non credentibus, quam non profuit fides Pauli, duobus illis filijs ſceuæ Iudæi principis ſacerdotum, imperantibus demonio in nomine Ieſu, quē prædicabat Paulus, vt exiret ab homine quem poſſiderat: Demonquum ſe Ieſum, & Paulum ſcire, & ipſos ſe ignorare quinam eſſent, diceret, inſiliens ſuperaúit vtrūq;. Milites Chriſti armari vult Paulus ſuis, non alienis armis, gladio ſpiritus, & ſcuto fidei, quibus poſſunt aduerſarium poteſtatum inſultationes repellere, & ignita quæcūq; tela, nequiſſimi illius extinguere.

Act 19.

Epheſi. 6

Quamlibet glorieris in parentum armis, gladio, ſcuto ve, ijs tamen ſi careas ipſe, vbi te inermem offenderit demonium, facilem habebit prædam, vincetque te, ac præcipitem in tartarum dabit. Niſi in tua lampade oleum dum ingreditur ſponſus, habueris, niſi in tua manu, lucernam tenúeris incenſam, tametſi in medio eccleſiæ per omnem vitam, trecentos etiam annos, habitares, quamuis ex parentibus, auis, abauis, atauis, tritauis, regibus, Patriarchis, prophetis, & Apoſtolis, ſis prognatus, a foribus excluderis, dicetur enim tibi, amen, amen, neſcio te: diſcedite a me omnes qui operamini iniquitatem. Vult Petrus conſcientiæ bonæ interrogationem apud deum, vult Paulus fiduciam cordis, corde creditur

dátur inquit ad iustitiã, et armari vult Christianũ, suis, non alienis armis: quoniam Iob, Daniel, & Noe, non liberabunt filios, & filias: neq; filius portabit iniquitatem patris, neq; pater iniquitatem filij: Sed anima quæ peccauerit, ipsa morietur: vnusquisq; suum onus portabit. Quam patris fidem, cõscientiam ve habebant, plane incertum est nobis. Nemo percipit quæ sunt in homine, inquit Paulus, nisi spiritus hominis, qui in ipso est. De alienis seruis nõ est nostrũ temere iudicare, domino enim suo vel stant, vel cadunt, dominus enim seruat, vocat, & ad se recipit, quos vult, quomodo vult, & quando vult. Non viæ eius, viæ nostræ, neq; cogitationes eius, cogitaciones nostræ: quantum distat cælum a terra, ita longe absunt viæ domini, a vijs nostris. Seruum igitur alienum non iudicemus, si nos condemnatos nolimus, domino enim suo vel stat, vel cadit. Vt parentum infidelitas credenti tibi, non est nocitura, ita nec fides eorum, tibi proderit infideli. De patribus, quomodo nos eos imitari oporteat, sic accipito. Patres nostri deum sincero pectore coluerunt, colamus, & nos, non quia patres id fecerunt, sed potius quia mandatum & voluntas est, domini dei. Patres forte nostri deum neglexerunt, & sanctum nomen eius blasphemauerunt, ad ne faciamus

Ezech. 14
Ezech. 18
Gala. 6.
1. Cori. 2.

nos, non quia patres id fecerunt, sed quia vetuit dominus deus. Parentibus obedientes fuere nostri patres, suis contenti rebus, nihil alieni contrectarunt, sobrie, caste, et pie, vixerunt, sanctum dei euangelium libenter audierunt, aut audire saltem cupierũt, auditumq́ non spernebant, sed in summo precio habuerunt, hæc faciamus et nos, non quia patres, sed quia vult, iubet, ac mandat, dominus deus: patres, forte erant suis parentibus immorigeri, fures, rapaces, adulteri, homicidæ, auari, scortatores, periuri, qui verbo dei sancto, ne prædicaretur, se opposuerunt, ministros verbi, oppugnarunt, exhibilarunt, proscripserunt, occiderunt: absint hæc a nobis, non quia patres hæc fecerunt, sed quia vetat dominus deus, quia plane contra dominum deum. Non quia patres bene, male ve, fecerunt, vel non fecerunt, nos similia vel faciamus, vel omittamus, sed quia facienda, vel omittenda, iubet, vult, ac mandat, dominus deus. Neque propterea quod patres nostri commederunt vuam acerbam, dentes filiorum obstupescunt, neq́ propterea quod comederunt vuã mollem, ac maturam, dentes filiorũ bene habent. Quoniã filius non portabit iniquitatem patris, nec pater iniquitatem filij. Sed anima quæ peccauerit, ipsa morietur: vnusquisq́ suũ onus portabit. Non incerta pa-

Ezech. 18

trum vestigia, aut fallax consuetudo: sed diuini verbi certissima et constantissima veritas, fidei nobis, vitæq; et morum, regula esse debet. Hæc itaq; fides quæ Christianismi dūtaxat nomine, & ecclesiæ, ac maiorum fide, nititur, quum interim quid Christianismus, quid ecclesia sit, qua fide præditi erant maiores, prorsus ignoret, non est illa fides, quā respicit et requirit deus, quam scriptura sacra tot laudibus euehit, et cui tam ingentia bona pollicetur: vsq; adeo indigna est fidei appellatione, vt crassa quedā ignorantia, et stupida sine fide confidentia potius, quam vel fides, vel fidei vmbra debeat nominari.

Sunt quos non padet vel e suggestu, fidem definire virtutē theologicā, et præterea nihil, perinde atq; grāmatista quispiā, quercum definiens, diceret esse arborē in silua, nihil interim exprimens, quò differre a virgultis dignoscatur, dialecticæ artis vel immemor, vel ignarus, quæ docet definitionē definiti genus, vna cum differentijs cōprehendere debere, quò ab alijs eius generis speciebus secernatur. Alij definiunt, fides est assensus articulorum fidei cum pia affectione. Alij quod sit noticia certa et meuidens, seu assertio veritatis ad religionem pertinentis: vnusquisque in suo sensu abundat, & abundet: at definitiones illæ quæcunque tandem sint, valeant, quæ nos circa precipuā fidei partē volunt dubitare,

num deus sit nobis propitius, num curet nos: num velit ignoscere, & exaudire propter filium. Articulis assensum nescio quem prebere, & interim dubitare, de benignitate patris: et salute per Christum parta, quæ est præcipua fidei pars, hæc (quã vocãt) fides, ab illa historica, quam diabolicã vocat divus Iacobus non tantum differt, quantum fides ab opinione, ac cæca mentis coniectura, & suspitione, differre debeat. Hæc non est illa fides, quam a nobis exigit dominus similem grano synapis, quam vult esse sine hæsitatione, & in qua petentes se promittit exauditurum, quicquid orantes petitis, credite, inquit, & accipietis. Fidem hæsitantem non agnoscit. Hac petentibus nihil largietur: petite inquit, Iacobus, nihil hæsitantes qui enim hæsitat similis est fluctui maris, non ergo putet homo ille, quod aliquid sit accepturus a deo. Longe est aliena ab ea fide quam ad Hebre. 11. dicit Paulus esse substantiam sperandarum rerum: Quam etiam propter constantiam & certitudinem vocat Ioannes scientiam, nos scimus inquit, quod filij dei sumus, nos scimus quòd ipse in nobis manet, et nos in eo, ex spiritu quẽ dedit nobis. Et scimus quòd ex deo sumus. dissimilis est hæc fides, Centurionis fidei, dic tantum verbum, & sanabitur puer meus. Item Cananeæ mulierculæ:

Hebre. 11.

1. Ioan. 3.
1. Ioan. 4
1. Ioan. 5.

nam

nam et catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Et illius fidei sanguineo fluxu laborantis, Si vel fimbream vestimenti eius tetigero, salua ero. Imo similior est fidei discipulorum nauigantium, & illorum duorum proficiscentium Hierosolymis versus castellum Emaus, tercio die post crucifixum dominum, quibus exprobrat stultitiam, & traditatem cordis, ad credendum, tantum abest vt illorum fidem commendet. Si testimonium haberes illud, sine quo, non constat fides, de quo Paulus, spiritus ipse sanctus testimonium perhibet spiritui nostro, quod sumus filij dei, quòd si filij, & hæredes, procul omni dubio scires quod verum esset testimoniũ eius. Spiritus enim veritatis est, iniuriam facit illi, qui mendacem, futilem, vanum, aut inconstantem putat: qui testimonium hoc non habet, fide vacat: qui testimonium hoc habet, non dubitat. Qui a fideli domino, ab ipsa veritate, accepit arrabonem, quomodo de sorte promissa poterit dubitare? Hæc fides quæ de promissione dei hæsitat, diffidentia potius, quam fides appellanda est: Relictis itaq; opinionibus, de titulo, & fidei nomine gloriantium, deq; aliena fide pendentinm: Relictis item definitionibus fidei Ciceronianis, Aristotelicis, Sophisticis, ac opinionum varietate, hominumq;

Luc. 24.

Rom. 7.

circa

circa fidei definitionem figmentis, ambagibus, labyrinthis, de fide historica, informi, formata, infusa, acquisita, explicita, implicita: Cœlestis hæc et diuina plane virtus fides, qua iustificantur impij, viuunt pij, sic definitur a Paulo in epistola quam scribit ad Hebreos. xi. *Fides est sperãdarum substantia rerũ argumentum non apparẽtiũ.* Sunt quos mirum in modum torquet hæc definitio Pauli, dicentis fidem esse substantiam: curiosi, magis sunt quam pij, quasi Paulus de prædicamentis dialecticorum, et prædicabilibus agat, quum nil faciat minus: longe maioris ponderis res est, de qua hic agitur, quam qui volet intelligere, relictis a tergo dialecticorũ muscipulis, altius conscendere eum oportebit. Agit hic Paulus de præcellenti ac singulari dei dono, de sancti spiritus testimonio, de adoptionis nostri, & iustitiæ, symbolo, de salutis & immortalitatis arrabone: de religionis nostræ Christianæ fundameto, quæres diuinior est, quam vt a carne et sanguine, a sapientibus huius mundi, possit cõprehendi, solius dei est, ex sua benignitate ineffabili eam reuelare: quis patrem alius nouit quã filius, et cui voluerit filius reuelare? Paulus itaq; suo more, sicut et passim scriptura solet, quum diuinũ quid enarrandum occurrit quod ob ingenij hebitudinẽ,

& in-

& infirmitatem, ab homine capi pro sua excellētia, et dignitate, nō satis valeat, ad nostri quodammodo ingenij captum descendens, tropis, & dicendi figuris, ac sermone nobis familiari vtitur, quo facilius innotescat, et intellectū tenatius insideat animis. Sciens itaq; Paulus singulare hoc dei donum, non posse hominis lingua, verbisq; pro sua dignitate & pretio, satis exprimi, vt eam discernat ab opinione dubia, & versatili, ab inani et vaga mentis humanæ coniectura, certitudinem, constantiam, et vim, vires describens aiebat. Est substantia sperandarum rerum, quasi dicat, nō est fluxa, vaga, obscura, versatilis, frigida, incerta, opinio, seu coniectura, sed certa substantialis, firma, solida, et cōstans fiducia, rerum maxime sperandarum, quæ maxime ad gloriam dei, & nostrum commodum facere videntur, et quarum spes, testimonijs, & signaculis circumuallata est, omni fideiussoria cautione, firmioribus, vt ea nostram expectationem haud quaquam possit fallere, quarum fruitio vt multo vtilissima, optatissima, iucundissima, & felicissima, ita earum spes, & expectatio, multo certissima, et solidissima esse debet. Hæ autem sunt, quas dominus Deus, creator, moderator, & rector omnium, in laudem glorie, gratiæ suæ, ad ostendendum inexhaustas

diuitias

diuitias misericordiæ suæ, in seculis omnibus, hominis figmento manum suarum dignatus est polliceri, nimirum quòd nobis velit esse deus, quòd velit in gratiam recipere rebelles: neq; solum vt pater misericors, & benignus, noxam nobis condonare, sed ex ineffabili gratia, & bonitate, nos iustificare, in filios adoptare, & asciscere in hæreditatis, & regni consortium. Ex præditite diuitiarũ suarum promptuario, hæc nobis beneficia creaturis perditis, rebellibus, pollicitus est, creator omnium, dominus deus, inquiens. Ero deus tuus, & seminis tui. deus tuus, qui sum creator, & restaurator, ero rex tuus, gubernator, tutor, auxiliator, dominus deus, pater, omni sufficientia, & omnia: Neq; satis erat hæc promisisse, nisi etiam ad stabiliendam fidem nostram, quam vacillantem, & infirmam nouerat, iureiurãdo eam confirmaret, per semetipsum iurans, quum maiorem per quem iuraret, nõ haberet, se maximis bisce nos beneficijs, & benedictionibus cumulaturũ. Quibus rebus, nulla potest creatura maius, excellentius, diuinius, vel expectare, vel excogitare: nimirum itaque, si supra omnia et vltra omnia, solida, et inconcussa fide desiderari debeant, & expectari: maxime vero promittente deo, et promissionem, iureiurando confirmante: qui vt veritas est, ita nec fallere

Hebre. 6.

Gene. 22.

*lere, nec falli poteſt.*

Eſt itaque fides, ſubſtantia, ſolida, ſubſtantialis, et certa fiducia, de beneficētia, & paterna dei erga nos charitate, & magnifica beneficiorum pollicitatione, ex vltronea miſericordia, & benignitate, in gratuitæ promiſſionis ipſius veritate, fundata, in Chriſto, per ſpiritum ſāctum cordibus ac mentibus reuelata, & obſignata: viua, efficax, dilectione flagrans, aliena ab omni diffidentia, ab omni hæſitatione, ab omni confidentia iuſtitiæ propriæ vel operum, ab omni ſupercilio Phariſaico, humiliter, ac modeſte, de ſe ſentiens, de dei vero bonitate, cuncta ſibi pollicens, ſperans, & expectans, timorem, & reuerentiam dei, cum ſpe, & amore coniunctam habens, indiuulſe adhærens, atque innitens verbo, & promiſſioni Dei.

*Hanc huius diuinæ virtutis definitionem, quam Paulus verbis breuē tradit, viſum eſt ijs circumſtātijs deſcribere, atq; haſce iterum circumſtantias fuſius explicare: quò, quæ breuiſſimis a Paulo concepta eſt verbis, fidei definitio, fiat manifeſtior. Eſt ſubſtantia ſperandarum rerum. Eſt indubitata perſuaſio, & tanquam cognitio diuinæ erga nos beneuolentiæ, quæ vt res eſt omnium maxima, omnium excellentiſſima, ita maxime ſperanda, & a nobis maxime optanda. Cognitio inquam, non qualis ſolet eſſe earum rerum, quæ ſub ſenſum humanum ca-*

dunt, imo iudicium rationis transcendere nos oportebit. Supereminere dicit Paulus ad Ephe. 3. Hanc cognitionẽ quæ est fides omni humanæ cognitioni. Inter scire & credere differentiam ignorat nemo: verumquia tantũ abesse debet a credente omnis hæsitatio, quantũ a sciente, quòd ad dei promissionem attinet, et fidei articulos, quod credimus per hyperbolen scire dicimur: quòd & si nondũ perfecte assequamur quod reuelante deo per fidem agnoscimus propterea quód in hac peregrinatione videmus tãquam per speculum in enigmate, (nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quod præparauit deus, hys qui diligunt illum.) Tamen promissione, & veritate verbi suffultus animus certius & persuasum magis habet, id quod non videt, quam quód oculis coram cernit, aut manibus contrectat, intelligens sensus fascinari posse, deum nec fallere posse, nec falli: qui in verbo sancto suo, arcanum voluntatis suæ a seculis & generationibus tectum, & absconditum, per spiritum sanctum electis suis patefecit: ideòq; quod ex verbo Dei sic persuasum habet, intelligere dicitur: fidesque in scripturis subinde cognitio, & scientia appellatur. Fidem scientiam vocat Ioannes: Scimus, inquit, quod filij dei sumus, & si nondum apparuit quid erimus

erimus. 1. Ioan. 3. 4. & 5. Atq; hoc modo dicuntur fideles scire se curæ esse deo, deum se respicere, gratos ipsi, & acceptos esse. nimirum diuinæ veritate, promissionis, & constantia, magis confirmati, quã vlla quantumuis perspicua, rationali demonstratione, confirmari valeant: Ideóq; addidimus in descriptione, fides est fiducia, persuasio certa, solida, indubitata, & qualis de rebus certis, compertis, et exploratis esse solet, tanquã cognitionis quædã certitudo, non dubia, non versatilis opinio, coniectura, aut suspitio: id quod Paulus intelligit dum ait, est substantia sperandarum rerum, per substantiam, rem maxime subsistentem, intelligens, & quasi fulcrum æneum, cui pia mens innititur, & incumbit, sic vt non tam expectatio sperandarum rerum, quam indubitata earum rerum quæ maxime expectari debent, videatur esse possessio. Arrabo enim quem dedit veritas, de promissa sorte non patitur dubitare. Quid mirum itaque si fidem vocarit Paulus substantiam, quando in solidissima Petra est fundata: In gratuitæ diuinæ promissionis veritate. 1. Ioan. 3. 4. & 5.

Remissionis & vitæ, gratuita promissio, est fidei immobile fulcrum, cui innititur.

Nisi fides, salutis, et gratiæ, promissione nitatur, et nisi ab illa ceu fulcro quodam æneo sustentetur, vacillat, labascit, euanescit, & perinde atq; murus sublato fundamento, corruit. Promissio misericordiæ, fidei nostræ sacra illa anchora est, cui dū ad hæret, tanquam in portu nauigat: Et ne vlla esset de promissione dubitatio eam iureiurando confirmauit, & quum non posset, inquit Paulus, per maiorē
Hebre. 6. se iurare, per semetipsum iurauit Abrahamo, dicens. In semine tuo benedicentur omnes gentes. Iuramentum interposuit deus, vt ostenderet hæredi-
Hebre. 6. bus promissionis, inquit Paulus, firmitatem sui cōsilij, vt sic per duas res immobiles, in quibus impossibile est vt mentiretur deus, validissimam consolationem haberemus, eā tenentes, velut anchoram animæ tutam ac firmam. Et hanc ad se pertinere persuasum habet fidelis anima, indubitatum prebente testimonium spiritu sancto, cuius testimoniū est fides, quando quidem deus est qui promisit, qui & iurauit, fallere itaq; aut mentiri, haud quaquam potest: veritas ipsa est. Anima fidelis, sacrilegum, prophanum, nefarium, atq; impium arbitratur, hic dubitare: & perinde contumelioſum in diuini nominis ac maiestatis gloriam, ac si notam illi mendatij, simul & periurij, vellet impingere: quod impium

piũ magis videtur, quã arbitrari, aut dicere nõ esse deum. Ex aduerso: promissioni firmiter citra omnẽ hæsitationem fidere, est dei veritatem, benignitatem, & gloriam, prædicare: ideoq; acceptiorem cultum, & maiorem deo gratiam, pro gratuitis beneficijs ipsius, rependere, se non posse arbitratur, quã procul dubio statuere, propter illud semen benedictum, se iuxta promissionem dei, a deo benedici, deo se esse curæ, acceptum gratumq;, & haberi pro filio. Huic itaque diuinæ promissionis veritati, tanquam tutissimo fundamento hæret hæc persuasio, & tanquam anchoræ sacræ immititur. Fundamentũ non potuit poni, firmius, & constantius, quàm promissio misericordiæ tam solemni iuramento vallata. Ideoq; diximus: fides quam vocat Paulus, substantiam sperandarum rerum, est certa ac solida de dei erga nos beneuolentia persuasio, fundata in gratuitæ promissionis veritate (In Christo.) Quoniam in ipso promissionis veritas, est exhibita, & in ipso completa sunt omnia. quotquot sunt promissiones dei, inquit Paulus, in Christo sunt etiam, sunt amen: id est ratæ, stabilitæ, confirmatæ: In Christo conquiescit, & residet amor patris, in ipso enim inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, proprie, vere, & suo natiuo modo, plene, ac perfecte:

perfecte. Ipso intercessore cœlestis pater, & nos paterno amore complectitur: extra ipsum diligit neminem. Ipse est pax nostra, mediator, & vinculum quo paterna charitate, vt cum charissimis filijs, deus nobiscum deuincitur. Ipse enim factus est nobis a deo, iustitia, sanctificatio, redemptio. In Christum conijciendi sunt oculi, quoties promissio misericordiæ, in scripturis nobis offertur. per ipsum & propter ipsum, beneuolum se deum, & patrem, fore pollicitus est. In ipso, quæ promiserat omnia, abundantissime præstitit. In ipso repleti sumus, & consummati, qui est caput corporis ecclesiæ suæ, & in omnibus primas tenens. Per ipsum, ex ipso, propter ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula.

Est itaque hæc substantia, hec sancta persuasio, in diuinæ promissionis veritate fundata, in Christo (huius fundamenti basis, fulcrum, & sustentaculum est Christus Iesus, dei filius, deus & homo, instaurans, perficiens, & consummans omnia.)

(Per spiritum sanctum mentibus nostris reuelata) qui sanctam ecclesiam fidelium suorum cœtum regit, consolatur, sanctificat, viuifi-

cat,

cat, & testimonio fidei in diuinæ promissionis veritate, confirmat, idq; per externum verbi ministerium, quod deus cœlestis pater, tanquam medium instituit, & instrumentum, per quod magnificentissima sua beneficia, & fidem cõferre dignaretur. Potest tamen non dubium, pro sua potentia, & arbitrio, sine vllo externi verbi ministerio, mediòue fidem dare, & in omnem nos deducere veritatem: quemadmodum sine pane hominum labore parto, Israelem quadraginta annos pauit in deserto, preuilegio singulari: vt enim est omnipotens, ita est et liberrimus. Verum vt nunc ex generali quem statuit pascendi modum, neminem pascit, nisi ex terræ fructibus, labore hominum, & sudore, partis, & conquisitis, ita visum est suæ prouidentiæ & sanctissimæ voluntati (cui non potest placere, nisi quod est optimum) non nisi per externum verbi ministerium fidem dare, & nisi per sacramenta quæ instituit, ipsam confirmare, quæ contemnere nemo potest, nisi qui deum ipsum negligit & contemnit.

Quomodo credent, inquit Paulus, nisi audierint, quomodo audient sine predicante? Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.

Et

Et dominus: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto, non potest videre regnum dei. (Non me clam est, hunc locum, ab alijs aliter exponi, de qua re alias latius.) Qui crediderit et baptizatus fuerit, hic saluus erit. Verum externo verbi ministerio, ac nuda euangelici præconis voce nihil efficitur, nisi spiritus intus doceat: Nemo potest venire ad me dicit dominus, nisi qui audiuit, & didicit ex patre meo: nisi quem pater qui me misit, traxerit: quis nouit patrẽ nisi filius, & cui voluerit filius reuelare? Sancti igitur spiritus opus est opera, sine cuius illuminatione nihil agitur: per spiritum sanctum itaq; mentibus nostris hæc sperandarum rerum substantia, & sancta persuasio reuelatur, & cordibus obsignatur: qua, tanquam sigillo, animis impresso: certos nos facit cœlestem patrem, procul omni dubio præstiturum, quòd interposito iureiurando fideliter promisit: patrem se nobis & deum fore, omnisufficientiam, & omnia. Postquã credidistis, inquit Paulus, obsignati estis spiritu promissionis sancto: qui est arrabo hæreditatis vestræ: & ad Corinthios scribens: Vnxit, & signauit nos Deus, & dedit arram spiritus in cordibus nostris. Vtrumq; enim, & illuminatio qua ineffabilis dei misericordia & benignitas degustatur, & obsignatio, qua stabilitur, &

Ephesi. 2.
1. Cori. 1.

tur, et confirmatur animus, opus est spiritus sancti, ad Ephes. 2. Philip. 2. & Gala. 4. Quando humanæ voluntatis nemo testis esse potest, nisi spiritus hominis qui in ipso est, diuinæ, quis testis esse potest, aut certus, nisi spiritu dei reuelante, & reuelatam obsignante, qui scrutatur etiam prò funda dei? Caro & sanguis hæc non reuelant, nec animalis homo potest ista capere. Spiritus sanctus est, qui nouam induens aciem, mentis oculis, hæc excedentia, humani captum ingenij mysteria, facit contemplari. Nec est quod præsumptionis vel arrogantiæ, insimuletur Christianus, quòd spiritum dei se dicat habere: quando id ad gloriã dei facit. Credò inquit Paulus, quòd & ego spiritum dei habeam. Et iterum, accepimus spiritum inquit, non huius mundi, sed spiritũ qui ex deo est, ut sciamus, quæ a deo donata sunt nobis: & eos dicit esse filios dei, qui spiritu dei aguntur, & quorum spiritibus, reddit spiritus sanctus testimoniũ, quòd sunt filij dei: pro filijs autẽ cognosci, quòd in ipsorum corda, immisit pater, spiritum filij sui, clamantem abba pater. Et eum Christianũ non esse, qui Christi spiritum non habet. Et Iohannes, scimus inquit, quód ex deo sumus ex spiritu quẽ dedit nobis. Velle incomprehensibile dei consilium nostræ infirmitati subijcere, et non magnificentius

1. Cor. 7.
1. Cor. 2.
Roma. 8.
Galat. 4.
Roma. 7
1. Ioan. 4.

de deo sentire, quàm iuditio rationis possimus assequi, id quidē esset promissiones dei omnes, in dubiū reuocare. quum nemo potest percipere ea quæ Dei sunt, nisi spiritu dei edoctus. Tantum itaq; abest a
1. Cor. 1. præsumptione, hæc piorum fiducia, vt sit diuinæ bonitatis magnificatio, gratiarum actio, & cultus, deo gratissimus. Cum sit itaq; hæc sancta de dei erga nos beneuolentia, persuasio, in veritate promissionis diuinæ fundata, digito dei impressa mentibus per spiritum sanctum, huius operis architectum, cuius fundamentum est dei veritas, Christus Iesus, deus, & homo, instaurans, & consummans omnia, non mirum quod vocauit eam Paulus, substantiam sperandarum rerum. (*Et argumentum non apparentium.*) Argumentis solent nobis persuaderi res alioqui incognitæ. At hoc argumentum quæ est fides, substantia est aheneo quouis muro constantior, ac argumentum substantiale, quauis syllogistica, aut rationali quamlibet valida demonstratione, clarius, luculentius, probabilius, sperandarum rerum, nondum tamen apparētium, hoc est, & si a sensibus nostris occultarum, certarū, tamē, & indubitatarum: iuditio rationis cōprehendi non possunt: at fidei pennis euectus animus supra humani captum ingenij, & omnia quæ in mundo sunt intonait aciem, tam certum statuens, habensq; pro cō-

perto

perto, quod enũciat euangeliũ, quàm quòd habeat explo-
ratissimum. Mysteria quippe dei cuiusmodi sunt
quæ ad salutem nostrã pertinant, in se suaq; natura,
cerni, aut humano cõprehendi ingenio non possunt,
at fides, ea in promissione, et verbo dei intuetur, cu-
ius veritatẽ sic persuasam habet, vt iam pro facto,
et impleto habeat, quicquid in scripturis, & verbo
suo pollicetur dominus. Vnde Paulus, certus sum in Roma. 8.
quit, quod neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; ar-
chãgeli, neq; creatura vlla potest me separare a cha-
ritate dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. At
dum fidei substantiam, et soliditatem prædicamus,
neq; in omnibus fidelibus parẽ, nec in vnoquoq; fide-
liũ eandẽ perpetuo semper, et vbique constantiã, et
firmitatẽ intelligimus. Scopũ vero in quẽ collimat,
et fundamentũ cui innititur si cõsideremus, eadẽ in-
telligitur: habet enim fides sua incrementa: habet
infantiã, pueritiam, adolescẽtiã, et virilẽ, ac perfec
tã, vt ita dicã, ætatem, & in vnaquaque ætate, quò
tenatius promissioni hæret, robustior est, quo minus
eam intuetur, infirmior: vtcũque tamen, vel per æta
tem succrescit, vel plus, minus ve, promissionẽ intue
tur, (nisi prorsus verbũ reliquerit, ac reiecerit) a
fundamento, id est a promissionis veritate, non
prorsus deficit. Eius natura est, quòd si eam ex-
pellas furca licet, vsque recurrit.

Fides itaq; membrorum omnium ecclesiæ, qua iusti ficantur impij, viuunt pij, vna est & eadem, iuxta illud Pauli, vna fides, vnum baptisma, Ephe. 4. Verum fidei mensura non est vna omnibus, sed alijs datur maior, alijs minor, sicut placitum est deo (vt inquit Paulus, Rom. 12) vnicuique mensuram fidei diuidere. Sicut membrorum omnium humani corporis vna est vita, licet alia alijs sint robustiora: atq; adeo quæ minor est mẽsura, ad salutem perinde sufficit eius cui data est, atq; maior ei qui maiorem accepit, sicut de manna scriptum est, Exod. 16. non habuit amplius, qui plus, nec minus, qui minus collegerat: alijs mensura datur maior non quò plus salutis acquirant, sed vt gloriæ dei illustrandæ seruiant, & præsint infirmioribus. Fidelium conscientie nunquam in eodem statu permanent, tentantur, sollicitantur, curis, cogitationibus, sursum et deorsum distrahuntur animi. Verum ad se tandem redeunt, promissionem & verbum arripiunt, illi tanquã sacræ anchoræ incumbunt, verbo se muniunt, armant, sustentant. Et si fides per infirmitatem nonnunquã labascit, non colliditur tamen, non vincitur, non succumbit prorsus, sed supponente manũ domino superior tandem & victrix euadit. Quod si a fundamẽto, a verbo, et promissione, quod absit, penitus

penitus defecerit, non solum labefactari eam, sed corruere necesse est, & extingui. In scopum, quod est verbum dei, vt desinit collimare, ita a fundamẽto incipit deficere. Fidei nostræ substantiam et constantiam, non securam quandam, atq; impiam, oscitantiam prædicamus: Imo si obiectum, hoc est verbum reiecerit, & in scopum prorsus neglexerit intueri, & ipsa etiam fides pariter euanescet, & perinde atq; murus sublato fundamento corruet. Quàm libet itaq; præclara & excellenti fide stas, caue ne cadas, noli altum sapere, sed time: Nondum cursum consummasti, sic curras vt comprehendas: caue ne in medio cursu deficias, caue ne excidas: Demas bene currebat cum Paulo, & in cursu defecit, relinquens verbum, & diligens hoc seculum. Galathæ currebant bene, testante Paulo, spiritum etiã sanctum acceperunt, in quo, & virtutes operabantur, & defecerunt: caue ne & tu cum dema et cum Galathis deficias, nam si deus naturalibus ramis non pepercit forte nec parcet tibi. Rom. 11. Fundamentum tene, obiectum intuere, in scopum collima: quòd si a scopo prorsus oculos auerteris, & verbum plane contempseris, possibile quidem est quód et tu penitus reijcieris. Alioqui non dixisset Paulus: Si illi non permanserint in incredulitate, reinserentur in

2. Tim. 4

Galat. 3. & 5.

Roma. 11

Roma. 11

suam ole-

suam oleam naturalẽ, & tu qui oleaster es in veram oleã insitus, si non permanseris, excederis. Non dixisset Paulus ad hebræos scribens, qui semel fuerint
Hebr. 6. illuminati, et gustauerunt donũ dei cœleste, et par-
Hebr. 10. ticipes facti sunt spiritus sancti et tandem relapsi sunt. Non dixisset volũtarie peccantibus nobis post agnitam veritatẽ, non relinqui pro peccatis hostiã:
2. Pet. 2. Non dixisset Petrus melius erat non nouisse veritatem, quã post agnitã retrorsum conuerti: deum vero agnoscere quis potest nisi fidelis? vere deũ agnoscere non est seuerum tantũ iudicem, et vltorem agnoscere, sed pium et benignũ patrẽ, et iustũ pariter iudicem agnoscere: quæ quidem cognitio, fides est. Quãlibet itaq; fide sis præclara, imo si vel plus quam Petrina, vel Paulina, vel Centurionis, quã vsq; adeo cõmendabat dominus, excellentiori fide polleas: Noli altum sapere, sed time: cum timore interim, et tre-
Philip. 3. more, salutem tuam operare. Qui timorem filialem a fide tollit, fidem eneruat, imo non paruam diuini cultus partẽ tollit, deus enim coli vult, a nobis fide, timore, dilectione; At dices, hoc pacto, tu mihi tollis hanc sperandarum rerum substantiã, quam prædicas omni aheneo muro firmiorẽ: Certe non tollo. Si tollitur, tua ipsius solius malitia et iniquitas eã tollit quod obiectum tibi scopum nõ vis intueri. Timor

iste

ĩste filialis, fidem comitatur: timor inquam filialis quo offensa magis timetur quàm pœna, quo timetur deus non vt tyrannus metu supplicij, sed amore iustitiæ tãquam pater: hunc timorem fides et charitas non mittunt foras quòd pœnam non habeat: Cũ hoc timore vult Paulus nos nostram salutem operari. Seruilis ille timor est cum quo fides et charitas consortium non admittunt: quo timetur pœna magis quã offensa: et deus supplicij & vindictæ metu vt tyrannus formidatur: non amore iustitiæ tanquam pater. Timore istorum inquit Psal. ne timeatis Tãtũ itaque abest vt propter timoris filialis (quẽ quisque fidelis habere debet) prædicationem huius nostræ, substantialis fiduciæ, certitudinem, et firmitatem tollam, quòd eam, id faciens, maxime stabiliã, et cõfirmẽ. Quemadmodũ lex dei moralis in tabulis illis lapideis scripta, non aboletur ad prædicationẽ fidei, sed in tabulis cordis carnalibus multo quã prius, firmius digito dei insculpta manet, et stabilitur, vt inquit Paulus: Ita dum timorẽ filialem prædico, quem fides vna cum charitate, et spe, perpetuum comitem habet, substantialis fiduciæ nostræ soliditatem non aboleo, sed stabilio, et confirmo Vt dubitationẽ, quã prædicãt Pelagiani, et Hypocritæ, ita ostentantiã, atq; impiã illã securitatẽ, quã prædicãt vẽteres, a substãtiali hac nostra fiducia sublatã cupio. Roma. 3.

Obiectum

obiectum igitur intuere, verbum apprehende, promissionem arripe, si vel tentatio impetat, vel cura sollicitet, vel cogitatio distrahat, & subsistes: tum vero senties, quàm solidior quàm antea fuerat, & firmior, sit illa tua sperandarum rerum substantia. Comparat dominus fidem grano synapis quod dum seminatur, paruum est, vbi vero succreuerit, maius est omnibus oleribus, & cuius semen quò magis teritur, tanto magis vim suam exerit, & sicut ignis quò magis tegitur, tanto magis æstuat: Et quemadmodum post liminio reuersus, & si multis annis apud hostes fuerit seruus, a iure tamen liber, et in ciuitate semper fuisse fingitur: & vt sol obtectus nube, luce non destituitur, sed pulsa vento nubecula clarius elucescit: & a somno experrectus homo laborí fit aptior: ita victis difficultatibus, & vegetior, & clarior fides euadit. Cui tantum abest vt quæ fuerant impedimento iam obfuerint, vt omnia sint illi cooperata in bonum, etiam ipsa peccata, inquit Augustinus in lib. soliloquiorum. c. 28. Si fundamẽto fuerimus innixi quæ est diuinæ promissionis constans, et indubitata veritas, nõ est quód dubitemus de hac nostra sperandarum rerum substantia, quæ est fides, quód vacillet: Constat itaq; definitio Pauli, fides est sperandarum substantia rerum, & non apparen-

apparentium indubitatum argumentum.

Neq; huic certitudinj, et Paulinæ definitioni, obstat illud ecclesiastæ c. 9. Nescit homo vtrum odio an amore dignus sit: Multos impediuit hic locus: alij, aliud: hebraicam veritatem habere quidam asserunt aliter, & ideo aliter vertendum, et interpretandum aiunt: Singulorum hic opiniones recẽsere, non est operæ pretium. Nam clarum id est & manifestum, ecclesiasten hic, sicut in tota sua concione loqui de ijs quæ sub sole sũt, vidi, inquit, omnia quæ sub sole fiunt, & ecce vanitas vanitatum, et omnia vanitas. De homine itaq; loquitur qui sub sole est, de homine mundano, quem Paulus animalem vocat, inquiens, animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt: & quem Christus dominus vocat carnem & sanguinem, caro & sanguis, inquit Symoni Petro, non reuelauit tibi: qui terrena tantum sapit, vanus & mendax, vt est omnis homo inquantum nudus homo ex Adam prognatus sine spiritu dei: omnis homo mẽdax vniuersa vanitas omnis homo viuens, inquit Psal. & de quo homine Paulus, si hominibus placerem, Christi seruus non essem: Nemo animalis sub sole, mundi homo, terrena tantum sapiens, vanus, & mendax, vt est omnis homo ex prima illa natiuitate, ex Adamo veteri, humanæ tantum ra-

Eccle 9.

1. Cor. 2.

Math. 16

Gala. 1.

tionis ductu, et suopte ingenio, ex præsenti rerum statu scit, odio ne (quod aduersis premitur) an amore, (quod secunda arrideant,) sit dignus: quod si suopte ingenio, et rationis tantũ ductu, ex præsenti rerum successu, studuerit inuestigare, vt vanus est, ita in vanum laborat. quum similiter eueniant iusto, & impio, immolanti victimas, et non immolãti, vt ecclesiastes ipse ibidem testatur. Neq; vero deus perpetuo suum testatur amorẽ in eos quibus omnia facit succedere prospere, neq; odiũ in eos prodere, quos affligit: corripere enim solet eum precipue, quem sibi maxime charum habet. Istiusmodi enim [illegible] semper fuisse fingitur: & vt sol obtectus nube, luce non destituitur, sed pulsa vento nubecula clarius elucescit: & a somno experrectus homo laborí fit aptior: ita victis difficultatibus, & vegetior, & clarior fides euadit. Cui tantum abest vt quæ fuerant impedimento iam obfuerint, vt omnia sint illi cooperata in bonum; etiam ipsa peccata, inquit Augustinus in lib. soliloquiorum. c. 28. Si fundamẽto fuerimus innixi quæ est diuinæ promissionis constans, et indubitata veritas, nõ est quód dubitemus de hac nostra sperandarum rerum substantia, quæ est fides, quód vacillet: Constat itaq; definitio Pauli, fides est sperandarum substantia rerum, & non apparen-

post mortem nihil nouerunt amplius, neq; habent vl
tra mercedem. & quis huiusmodi dixerit fidelem,
Christianum, spiritu dei illustratum? Nemo sane,
qui mentis est sanæ Et in.c 3. de hoc homine loquens
mundano, sub sole (quemadmodum in tota sua con-
cione de his que sub sole sunt, loquitur) dicit eum nõ
posse discernere, quid anima hominis differat ab ani
ma pecudis, quòd eodẽ modo videantur interire. Nũ
hic homo qui sic sentit, fidelis, aut Christianus dici
debeat? nihil minus. Si quis hic, non plus quã huma-
no suo ingenio, et coniectura, potest percipere de a-
nimæ immortalitate sentiat, repente Epicureus aut
Anabaptista Libertinus prorsus euadet. Nisi enim

homine mundano, quem Paulus animalem vocat, 1. Cor. 2.
inquiens, animalis homo non percipit ea quæ Dei
sunt: & quem Christus dominus vocat carnem &
sanguinem, caro & sanguis, inquit Symoni Petro, Math. 16
non reuelauit tibi: qui terrena tantum sapit, vanus
& mendax, vt est omnis homo inquantum nudus
homo ex Adam prognatus sine spiritu dei: omnis
homo mẽdax vniuersa vanitas omnis homo viuens,
inquit Psal. & de quo homine Paulus, si hominibus Gala. 1.
placerem, Christi seruus non essem: Nemo animalis
sub sole, mundi homo, terrena tantum sapiens, va-
nus, & mendax, vt est omnis homo ex prima illa
natiuitate, ex Adamo veteri, humanæ tantum ra-

tionis ductu, et suopte ingenio, ex præsenti rerum statu scit, odio ne (quod aduersis premitur) an amore, (quod secunda arrideant,) sit dignus: quod si suopte ingenio, et rationis tantũ ductu, ex præsenti rerum successu, studuerit inuestigare, vt vanus est, ita in vanum laborat. quum similiter eueniant iusto, & impio, immolanti victimas, et non immolãti, vt ecclesiastes ipse ibidem testatur. Neq; vero deus perpetuo suum testatur amorẽ in eos quibus omnia facit succedere prospere, neq; odiũ in eos prodere, quos affligit: corripere enim solet eum precipue, quem sibi maxime charum habet. Istiusmodi enim rerũ successus, prospera, et aduersa, pio, iuxta atq; impio, et si in diuersũ finẽ, solent euenire. Arguit hisce verbis ecclesiastes, humani ingenij hebitudinẽ, et vanitatem, vt inter cætera sub sole vana, & hominem spiritu dei vacuũ, vanum similiter ostendit. Corda filiorũ hominum inquit, in ipso hoc eodẽ capite, replentur malitia, & contemptu. Quòd autẽ ecclesiastes in illo c. 9. dicens: Nescit homo, odio an amore dignus sit, de homine mundano terrena tantum sapiente, cuius deus venter, de homine animali, de carne et sanguine, vano, & mendaci, loquatur, cæcutienti, imo & si talpa magis cæco, manifestum est: Nam statim subiũgit in eodem cap. Hi homines

post

post mortem nihil nouerunt amplius, neq; habent vl tra mercedem. & quis huiusmodi dixerit fidelem, Christianum, spiritu dei illustratum? Nemo sane, qui mentis est sanæ Et in.c 3. de hoc homine loquens mundano, sub sole (quemadmodum in tota sua concione de his que sub sole sunt, loquitur) dicit eum nõ posse discernere, quid anima hominis differat ab anima pecudis, quòd eodẽ modo videantur interire. Nũ hic homo qui sic sentit, fidelis, aut Christianus dici debeat? nihilminus. Si quis hic, non plus quã humano suo ingenio, et coniectura, potest percipere de animæ immortalitate sentiat, repente Epitureus aut Anabaptista Libertinus prorsus euadet. Nisi enim hebitudinem, & vanitatem humani ingenij potius hic ab ecclesiastæ argui, quam quod res est describi intellexerit, velit, nolit, animam cum corpore pariter interire, hominemque a brutis post hanc vitam, neque re, neque spe, quicquam differre, vt sentiat necesse est: Egregij, si deo placet, diuinarum scripturarum interpretes, egregij doctores, egregia illa patrum conciliabula (præclaro patrum nomine, quo se gaudent appellari, & ecclesiæ suæ hanc suam volunt impietatem prætexere) qui hæc verba Ecclesiastæ, contra ipsius mentem,

verbis ab eo clarissimis expressam, contra fidem nostram Christianam, imo contra spiritum dei, loquentem in Paulo, loquentem in Iohanne (dum ille eam sancti spiritus testimonium, substantiam, & certitudinem appellat, hic ob eius certitudinem, scientiam & cognitionem,) plenis audent tibijs ebuccinare: flammis eum, qui aduersus id quod ipsi sentiunt & sanciunt (& si pro veritate verbi asserenda id faciat, & spiritus testimonio sancti) vel mussitare audet, tāquam anathema, dignum iudicantes. Quod autem in capite illo tertio, & item nono ecclesiastes, sicut & in tota sua concione passim, de ijs quæ sub sole sunt, vanitati subiectis, & de homine sub sole, animali, carnali, spiritu dei, & fide vacuo, sit locutus: in capite eius concionis finali clarissimis verbis ostendit. Et si carnalis homo ea tantum quæ sub sole sunt intuens, nesciat inter hominis & pecudis interitum differētiam (quod ad animarum vtriusque mortalitatem vel immortalitatem attinet) & an amore se dignū possit iudicare (amore equidem propter se nemo est dignus, sed propter Christum se acceptum iudicare debet quicunque dignus est) de quo homine, mundano, et carnali, in c. 3. & 9. In capite vero finali de homine spiritu dei & fide prædito, loquens qui oculo fidei

Rom. 8. Hebre. 11. 1. Ioan. 3. 4. & 5.

lo fidei ea quæ supra solem sunt, cœlestia, & diuina, cõtemplatur: Nos scimus, inquit, quòd corpus in terram suam reuertetur, vnde sumptum est, spiritus autem redibit ad eum qui dedit illum. En quam diuersa esse carnalis & spiritualis hominis iudicia dmonstrat? Volunt hi homines Epicurei, superbiæ, ventris, & mundi filij, nos de promissione, & gratia dei, de salute per Christum parta dubitare: Et quorsum? nisi vt liceat eis in miseras hominum conscientias grassari, & carnificinam quandam exercere: ex ea, modo quæstum sibi faciant, nihil curantes interim, tametsi & ipsorum suæ, & illorũ quos dementant, animæ, in tartarum præcipites ruant: At spiritus sanctus non vult nos de salute nostra vllo modo dubitare, sed de ea esse certiores.

Certus sum inquit Paulus, quod neq; angeli, neque archangelj. &c. neque vlla creatura, potest me separare, a charitate dei, quæ est in Christo: et Ioãnes: Scimus, quod filij dei sumus: scimus quód cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est: & alibi: Scimus quód in ipso sumus, & alibi: Scimus quôd ex deo sumus: & Paulus: Quoniã sumus filij immisit deus spiritum filij sui in corda nostra clamantem abba pater: & alibi. Ipse spiritus sanctus reddit testimonium spiritui nostro quòd

Roma. 8. 1. iohn 3. 1 Ihon. 4 1. Ihon. 5. Gala. 4. Rom. 7.

quòd ſumus filij dei, quòd ſi filij, & hæredes. Et ſcimus quod ſpiritus veritatis eſt, & mentiri nequit, ideòq; ſcimus, quod verum eſt teſtimonium eius: cui qui non credit, mendacem facit, id eſt pro mendaci habet: at, quæ maior contumelia eſſe poteſt, quàm pro vano futili, & mendaci, habere ſpiritum Dei? Ego ſane potius quam ſpiritũ dei ſanctum tam inſigni afficiam contumelia, malo fidem ſubſtantiam ſperandarum rerum cum Paulo, vocare: Imo, quàm opinionem dubiam, aut incertam cõiecturam, murum dicere aheneum, & colũnam æream, cui tuto liceret, & ſine vllo ruinæ periculo incumbere, & inniti: et tanquam ſpe potitus, et optato fruens, exclamare cum Paulo: Certus ſum quod neq; mors, neque vitâ, neq; angeli, neque archangeli, neque principatus, neque poteſtates, neque altitudo, neque profundũ, neque longitudo, neque latitudo, neque inſtantia, neque futura, nec creatura vlla, poteſt me ſeparare a charitate dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu domino, & ſeruatore meo. Roma. 8.

Eſt itaque fides ſperandarum rerum ſubſtantia, de promiſſa dei beneuolentia, & paterna eius charitate, in Chriſto Ieſu exhibita, in promiſſionis ipſius iureiurando vallatæ, veritate, fundata, certa, ſancta, & indubitata, perſuaſio: (Viua) Quando quidem

quidem ipsa fides, est donum dei viui, architectus, spiritus vitæ, fundamentum, veritas dei viuentis, cuius fundamenti, lapis, & fulcrum, & item angularis, est dei filius Christus Iesus, qui est via, veritas, & vita: substantialis hec fides nostra, viua sit oportet: non stupida, ociosa, mortua, qualem habent qui ex aliena tantum fide pendent, maiorum & ecclesiæ, ignari quanã fide ecclesia & maiores fuerãt præditi: & qualem habent qui de fidei nomine gloriantes magna iactitant, atque interim fidem, verbum, & nomen dei benedictum, sceleratæ vitæ exemplo, omnis generis spurcitia, & sordiũ colluuie, contaminatæ dehonestant blasphemant, profanãt, ac inter gentes (quæ sine deo sunt) & incredulos, male faciunt audire. Ideoque non iniuria hanc de fide præsumptionẽ et iactantiã, tantũ abesse dicit Iacobus, a fide quã respicit, ac probat deus, vt putidissimo cadaueri, potius assimiletur cuius nec ingratũ fœtorẽ, nares, neq; oculi horrorẽ ferre possunt. Hec fides nostra qua iustificamur impij, viuunt pij, efficax per opera bona, et viua sit oportet. (Dilectione flagrans) Quãdo fides ipsa donũ est dei, architectus fundator, & illuminator, charitatis et amoris spiritus fundamentũ dei veritas, et deus ipse, qui hoc donum à deo in Deu fundatum acceperit,

charita-

charitatis eum flammis flagrare necesse est. Deus charitas est, & qui in charitate manet, in deo manet, & deus in eo. Fides perpetuam habet comitem charitatem. Fidem habere ijs, quæ de deo scriptura prædicat, immerentem hominem in gratiam recepisse, condonasse peccata, gratis sua benignitate iustificasse, & a gehenna, cui erat obnoxius, redemisse, & eum tamen sic impense amantem non redamare, esset quidem contra communem sensum. Naturæ enim repugnaret, eum non amare quem potentē in iuuando, & pari ad auxiliandū beneuolētia præditum agnosceret. Si rex quispiam potentissimus tā to te amore sit complexus, vt e sterquilinio squalentæ sordibus ac macie confectum, pauperem, vilem, & abiectissimum homuntionem, quouis Iobo testa saniem radente sordidiorem, ad cuius conspectum, & nidorem, & oculi, & nares hominum exhorrescerent, in familiam asciuerit, adoptauerit in filium, & in hæreditatis consortium & regni: ac demum pro te tantorum beneficiorum immemori, & tantæ gratiæ ingrato, sententiam capitis expectante, ac in tortoris manus tradito, vnigenitum quem habuerat filium, iugulandum obtulerit, isque pro te sit iugulatus, an poteris tam impense amantem tui non redamare? natura repugnat, communis sensus abhorret:

Imo

Imo asino stupidior est, ad naturæ sensus obsurduit atq; omnem exuit humanitatem, qui id fieri posse ausus sit affirmare. atq; nisi idem omnino de bonitate dei erga te factum statueris, & indubitato persuasum habueris, tantum abest vt fidelis sis, vt ne vel vmbram fidei habeas: Fides itaque nisi charitatem comitem habuerit fidei appellatione indigna est: quòd per eam sese exeratur: & sine ea mortua sit. Nec est quod impediat aut moueat illud Pauli: Si quis omnem fidem habuerit, itaut & montes trãs- 1. Cor. 13.
ferat charitatem autem non habuerit nihil est. Nõ vult Paulus fidẽ spoliare indiuidua sua comite charitate. Fidem ibi pro virtute ædendorum miraculorum; vt est latæ significationis, accipere videntur, Chrysostomus, & item Ambrosius: quin & Paulum id ipsum velle, non est obscurũ. Quum in proximo capite disseruisset, de varijs donis spiritus, inter quæ posuerat genera linguarum, virtutes, & prophetiam, & hortatus esset Corinthios ad sectanda ijs meliora hoc est, vnde plus fructus ad totum ecclesiæ corpus rediret, (propterea enim charitatẽ, spe & fide maiorem, infra dicit, quòd latius pateat, extendens se ad proximos, ac diutius duret, fide enim & spe euanescentibus, dum datur cernere facie ad faciem, quod nunc per speculum in enigmate

videm⁹, ipsa charitas æternũ etiã in patria manet) subiicit excellentiorem viam se demonstraturum: ostendens cætera dona vtcumq; magna, ecclesiæ ædificationi nisi subseruiãt, & charitati, non magni æstimãda: et sic illis patribus, et alijs multis, videtur Paulus fidem hic pro facultate ædendi miracula vsurpasse, quo quidẽ dono quum possit impius abuti, vt linguarum dono, & prophetia, non mirum si a charitate separetur.

Multos hic locus impediuit, & diuersa est aliorum ab alijs sententia, quorum omnium, & singulorum hic recensere opiniones, & sententias non est operæ pretium. Si haberem omnem fidem, ita vt montes transferam. &c. diceret hic dialecticus: Si, conditionalis particula, nihil ponit: diceret autem qui sensus habuerit vel mediocriter exercitatos in scripturis sacris, hyperbolicam esse locutionem: Quoties enim scriptura vehementius aliquid vrget, quod mentibus hominũ vult infixum: (quòd diuina ab infirmo hominis ingenio nõ satis pro sua dignitate capi valeant, speculator maiestatis opprimitur a gloria) figuris ac tropis in dicendo nobis familiaribus vtitur, quò, melius id quod dicitur, nobis innotescat.

Nullus

Nullus tropus in omni scriptura frequentior occurrit hyperbole: nullus tropus omniũ gentium linguis omnibus familiarior: quem, (in scripturis vbi occurrit) nisi diligentius obseruemus, in inextricabiles difficultates & in errores etiam turpissimos, facile prolabemur. Hoc vsus tropo dicendi, & alibi ipse Paulus: Si nos, inquit, aut angelus de cœlo, euangelizauerit vobis aliud euangelium, præter id quod euangelizauimus, anathema sit. Quis dicet angelum nuncium veritatis, mitti a deo, qui est veritas, ad prædicandum mendacia? sane nemo sanus. Dicit Paulus, impossibile est hominem fide illuminatum & relapsum renouari per pœnitentiam: an hic nouatianis credemus hæreticis, post lapsum pœnitentiam denegantibus? Gala 1. Hebr. 6.

Et dominus. Pœnitet me fecisse hominem: pœnitet me constituisse Saulem regem. Et quis tam demens, qui ausit adfirmare deum, apud quem, non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, quique præuidit omnia antequam essent, id committere, cuius se debeat, aut possit, facti pœnitere? Perinde est, hoc loquendi tropo dum vtitur Paulus, ac si dicat: Fingat quis id esse, quod non est, nec futurum est, i. Reg. 15. Genes. 6.

deum mittere angelum qui annunciet mendatia, anathema sit: Coniectet quispiam aliquod esse flagitium tum pœnitentia, tum misericordia indignum, a quo homo nullo modo posset resipiscere, & quod deus ex omnipotenti sua misericordia, nec debeat, nec possit condonare, id quidem esset illuminatum a fide deficere: Fingat quis aliquid vel ymaginetur factum a deo, cuius se facti pœnitere debeat si posſit. Id certe esset nimirum constituisse Saulem regem super populum suum, ex infima familia infimæ tribus, qui noluerat obedire voci dei. Quo vsus est tropo Paulus dicens: Si nos aut angelus de cœlo euangelizet vobis euangeliū aliud anathema sit, & dominus, dicens, pœnitet me fecisse hominē, hyperbolico scilicet, quo, neque in scripturis, nec in omni lingua est frequentior, & familiarior, eodem
1. Cor. 13 vsus est hic Paulus inquiens, Si haberem omnem fidem ita vt mōtes transferam: fingat, coniectet quis id esse quod non est, nec futurum est, imo nec esse potest, fidem perfectissimam esse sine charitate, tā tum abest vt fides sit, vt sit vaga potius opinio, fidei appellatione indigna. Adeòq; videtur magis hic his verbis adfirmare fidem sine charitate non esse, quam quòd ab ea vel possit, vel debeat separari. de ijs Latius in libro quem de peccato in spiritū sanctū

inscripsi-

inscripsimus licebit videre. Fides itaque hæc nostra quam vocat Paulus sperandarum substantiam rerum, est viua, efficax, dilectione flagrans.

(Aliena ab omni diffidentia, ab omni cõfidentia iustitiæ propriæ, humiliter ac modeste de se sentiens.)

Neque operum, neque fidei quidquam dignitati, in quãtum hominis sunt, tribuens: sed omnem gloriã solæ dei misericordiæ, & iustitiæ Christi. (De dei vero bonitate cuncta sibi pollicens sperans & expectans.) Vna cum diffidentia, audacem quandam etiam confidentiam præ se ferens, suis nimirum viribus, & iustitiæ diffidens, Christi vero iustitia, & virtute, ac misericordiæ fiducia, fretus, vniuersis Sathanæ copijs, atque portis etiã inferorum bellum indicat, confidens ac certus de victoria. Timorem ac reuerentiam dei, cũ spe, & amore, coniunctam habens)

Timorem inquam filialem, quem amplexatur, non seruilem, quem foras mittit charitas: Filialis timor fidei, & charitati, indiuulsus, & perpetuus gaudet esse comes Fidere, & amare, & non timere ne quẽ amat offendat, est naturæ ordinem inuertere. Hæc

sibi

sibi inuicem sic sunt concatenata, & coniugata, fides, spes, amor, offensæ pœnitẽtia, timor filialis, obedientiæ studium, vt ab inuicem haud paciantur separari, quin perpetuas sibi comites, & socias esse gaudent. & dominam ac matrem sequi fidem, et ab vberibus consolationis eius pendere. Et sicut fides, sine ijs perfecta non censetur, ita & hæ virtutes quodam modo procreantur ex fide. Dum enim prædicatur euangelium, spiritus sanctus Paulatim persuadet vera esse quæ docentur: Hunc assensum sequitur indubitata persuasio, einsdem spiritus opera, seu misericordiæ fiducia: quæ vbi nata fuerit in animis hominum, inictu oculi, ac dicto citius, & quemadmodum ex concussione mutua calybis & silicis, cum enato igni statim producitur calor, & lux: Ita ex concepta misericordiæ fiducia, statim ac dicto citius enascitur amor, offensæ pœnitentia, spes, & timor filialis: Et quemadmodum ex mutua illa concussione càlybis, & silicis, enata illa ignis scintillula, primum paruula est, ac demum admoto fomite, vires colligit, grandescit, erumpit in flammam, & peruadit omnia: Sic ex sancti spiritus persuasione enascitur fides, paulatim grandescit, suã habet infantiam, pueritiam, adolescentiam, virilem ac plenam ætatem: et vna cum fide pœnitentia,

spes,

ſpes, amor, & timor filialis, incrementis paribus ſuccreſcunt, pariter decreſcunt, deliquiá ſimul patiuntur & ecclipſim, pariter labuntur, pariter reſipiſcunt, pariter emoriuntur, & extinguuntur in via. in hoc tantum vitæ & necis harum ſororum indiſſociabilium diſcrimen eſt, quód cæteris emorientibus in via, æternum maneat charitas in patria. Hæ virtutes ab inuicem diſtinctæ, & ſi in via, nullo temporis ac ſpacij interuallo poſſint ſeparari, attamen quia ex verbo primum concipi fidem oportet, ſine qua, amor odium, ſpes deſperatio, pœnitentia hypocriſis, fidei, tanquam radici, matri, ac fonti, ex quo naſcuntur virtutes illæ, & tanquã regulæ ad quã referuntur, et examinantur, tam magna, tãq excellentia ſcriptura tribuit. Prius enim quã fides (quã operatur ſpiritus ſãctus in cordibus fideliũ, aliquando tardius, interdũ citius) audito verbi præconio, concipiatur, amor, lãguidus eſt, pœnitentia diffidentia, timor deſperatio. Ideo nõ iniuria (tametſi charitas latius ſe extendat, proximis etiã conſulens, quãobrẽ, et propter ipſius perpetuitatẽ, maior horũ dicitur) fidei tãquã origini ac aliarũ virtutũ fonti, primæ partes tribuũtur: ſine qua, quãlibet in ſpeciẽ arrideant, indignæ ſũt quæ virtutes dicãtur: propterea quód ſine fide impoſſibile eſt placere deo. Habet

Habet itaque fides timorem, & reuerentiam dei, tum ſpe, & amore coniunctam. (Indiuulſe adhærens atque innitens verbo & promiſſioni dei.) Verbum dei obiectum eſt, & ſcopus, in quem perpetuo collimare fidem oportebit: & eſt tanquam baſis, et columna, qua fulcitur, et ſuſtentatur, tam ſolide, tanquam indiuulſe adhærens verbo dei, vt non tam perſuaſum habeat, vel certum, quod oculis coram cernit, vel contrectat manibus, quâm quod præ ſe fert ac pollicetur euangelium: Senſus faſcinari poſſunt, & decipi: at deus in verbo ſuo mẽtiri & fallere non poteſt. Extra verbum dei nõ eſt fides: ab eo ſi deflexerit, ex fide fit vagus mentis error, & cæca coniectura. Præceptis hominum haud nititur, ſed verbo dei: prædicatio mea, inquit Paulus, non fuit in perſuaſibilibus humanæ, ſapientiæ verbis, vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominũ, ſed in potentia dei. Huius fidei naturam, & vim, quam prædicat Paulus ſubſtantiã ſperandarum rerum, (qua iuſtificantur impij, viuunt pij) in exemplo Abrahami, qui credentiũ omniũ pater, iure dicitur, licet intueri, cuius fidem dicit ſcriptura reputatam illi ad iuſtitiam. Geneſ. 15 ſcriptum eſt: Eduxit dominus Abrahamum foras et ait illi ſuſpice

Geneſ. 15.

celum,

cœlum, & numera stellas si potes, & dixit ei, sic erit semen tuum. Et credidit Abraham deo, & reputatum est illi ad iustitiam: credidit Abraham deo: tametsi natura videretur repugnare, verbo tamen tanquam æneo fulcro innitens, constanter ac indubitato persuasum habuit, futurũ, quod aiebat dominus sciens posse id præstare qui promisit, quia dominus, quia omnipotens: & velle, quia deus, quia veritas: præter spem, inquit Paulus, in spem credidit, futurum se patrem multarum gentium, iuxta Roma. 4.
id quod dictum erat ei, sic erit semen tuum: Non suum ipsius corpus iam emortuum natum centum annos, nec emortuam vuluam Sarai, considerauit, nõ quid natura præstare potuerat, sed ingenio & viribus mundi, & suis valedicens, verbo dei incumbẽs, de promissione dei non iudicauit, non disquisiuit ex diffidentia, non examinauit, neq; periculum facere voluit, quemadmodum Adamus in Paradiso, de verbo domini prohibẽtis esum pomi in ligno vetito, sed persuasione certa corroboratus, plene persuasũ habuit, potentem deum vt faceret quæ promiserat, quia omnipotens, & volentem, quia veritas. Hic dum sibi, & mundo, & naturæ vale dixit, renunciauit, haud considerãs quid vires humanæ, aut ipsa valeat, vel præstare vel obstare natura. Hunc

honorem habens deo, & si contra spem, & præter spem, nihil tamen de promissis eius dubitans (quo honore, nullus honor maior a creatura creatori haberi potest) hanc eius fidem dicit scriptura reputatã ipsi ad iustitiam. Et certe specimen huius rei in nobismetipsis sentimus: Neminem chariorem nobis habemus eo, quem scimus nobis constanter fidere: qui dicto obedit, nihil contradicens, nihil diiudicans, vel examinans. Econuerso illum nõ dignamur nostra amicitia, imo vix colloquio, quem putamus promissis nostris diffidere: nihil audemus magni, illius fidei vicissim concredere: adeo vt syncera fide nullus maior videatur honos, & cui maiora debeãtur beneficia: diffidentia vero, nulla maior iniuria, seu contumelia, beneuolentia, ac beneficijs indignior. Humanis viribus, mundi, & naturæ diffidere: & dei verbo & promissioni constanter fidendo adhærere, est honos supra omnem honorem, summusque, qui a creatura potest exhiberi creatori deo: quem honorem, deus sic gratum, charum, acceptumque habet, vt illi (tametsi ipsius donum sit) vicissim imputet quod est omnium longe maximum, peccatorum remissionem et iustitiam. Credi-
Gene. 15. dit, inquit Moyses, & reputatum est ei ad iustitiam. Ex his manefeste constat quam Abrahe fidem scrip-

dem ſcriptura prædicat, & quænam hæc fides eſt quam vocat Paulus ſubſtantiam ſperandarum rerum, qua iuſtificantur impij, viuunt pij, quam ad ſidera vſque, tollunt atque euehunt ſacræ literæ: nimirum certa, ſolida, conſtans, & indubitata illa de promiſſa Dei beneuolentia perſuaſio, qua quis plene perſuaſus eſt, & citra omnem, vel diffidentiam, vel hæſitantiam, & ſi præter ſpem, & contra ſpem, & repugnante etiam natura, deum præſtare poſſe, atque etiam velle, quod promiſerat, ſicut Abrahamum, qui vſque adeo diffiſus ſibi, & vniuerſis mundi viribus, verbo & promiſſioni dei indiuulſe adhærebat. Quæquidē ſancta perſuaſio, ſpiritus ſancti opus eſt. caro enim, & ſanguis, hæc non reuelant, imo nec percipiunt quidem. Dei enim donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur.

Eſt itaque fides, ſubſtantia vt inquit Paulus, rerum ſperandarum, & non apparentium infallibile argumentum. Eſt certa, firma, ſolida, conſtans, indubitata, de Dei erga nos gratuita beneuolentia promiſſa, perſuaſio: in ſolidiſſima petra, in diuinæ promiſſionis conſtantia, & veritate, fundata: in Chriſto Ieſu, qui omnia in omnibus adimplet: per ſpiritum ſanctum, mentibus ac cordibus noſtris reuelata, & obſignata:

viua, efficax, dilectione flagrans, aliena ab omni diffidentia, confidentia operum, & iustitiæ propriæ, modeste, ac humiliter de se sentiens, de benignitate vero dei, cuncta sibi pollicens, sperans, et expectãs: timorem, & reuerentiam dei, cum spe, & amore coniunctam habens: indiuulse adhærens atque innitens verbo, & promissioni dei: quam suo spiritu animis nostris reuelet, & obsignet cordibus: augeatq; eam in dies, & faciat grandescere, donec in omnem deducamur veritatem & cognitionis plenitudinẽ: ex sua ineffabili misericordia cœlestis pater propter filium: Cui cum ipso filio & spiritu sancto, in personarum trinitate, vni soli deo & domino, laus, honor, gloria, gratiarum actio, benedictio, claritas, virtus, potestas, triumphus et imperium. In omne æuum.

Amen.

# IN SYMBOLV, (QVOD Apostolicum vocant) enarrationem, præfationis pars secunda. De Iustificatione: Authore Patricio Cocburno, Scoto.

*Vm in ijs quæ ad religionis Christianæ professionẽ spectant, nihil occurrit vnquam cuius cognitio magis sit vtilis ac necessaria, quâm iustificationis, nihilque periculosum magis, quam eius ignoratio. Mirũ quàm impediti semper fuerint, in huius negotij expeditione, doctissimi quiq; scripturarum interpretes, tum veteres, tum recẽtiores: controuersiæ semper fuit in hac re plurimum, consensus rarus: ac nisi quis penitius, ac deliberatius, singula perpenderit, multos inueniet, qui hac in re parum constare etiam videntur sibi. Dicet quis: in tanta varietate, cuius tu potissimum sentẽtiam amplecteris? pro responsione accipiat illud horatianũ. Nullius addictus iurare in verba magistri, quò me quũque rapit tempestas deferor hospes: Si non placet quod*

cet quod ab Ethnico poeta dictum sit: accipiat illud diui Augustini, in Epistola quam ad Hieronimum scribit Petens expositionem illius Pauli in Epistola ad Galathas. cap. 2. vbi ait cum vidissem quód non recto pede ambularent ad veritatem euangelij, restiti Petro in faciem, quia reprehensibilis erat, & dixi coram omnibus, si tu cum iudæus sis. &c. vbi sic ait Augustinus. Ego scripturas canonicas, vt appellantur, sic lego, vt nullum earum scriptorem aliquid errasse firmissime credam: Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate, doctrinaque polleant, non ideo verum putem quòd ipsi ita senserunt, sed quia mihi per illas scripturas canonicas, vel probabili ratione, quæ a vero non abhorreat poterunt persuadere. Nec temi frater sentire aliquid aliter existimo: (Hieronimum alloquitur) prorsus arbitror, inquit, te non sic legi libros tuos velle, tanquam prophetarum, vel Apostolorum, de quorum scripturis, quod omni errore careant nephas est dubitare: Hactenus Augustinus. Cuius ego consilium sequens, nullius quantumlibet magni, addictus in verba iurare, Apostolorum & prophetarum scripturis incumbam: nitar verbo Dei. Iudicio & sententiis hominum hærere, neglecto expresso verbo dei, non audeo, propter impetum & furorem

rorem Leonis, non illius qui occidit prophetam domini, missum ex Iuda, ad Hieroboam regem Israel: Sed illius de quo Petrus. 1. Pet. cap. vlti. qui circuit in somnis, noctes dieſque, & faucibus hians, quærens quibus illudat, quos irretiat, deuoret, occidat. Vt ostenderet dominus deus, quàm magnum sit periculum deficere ab aperto dei verbo, ad iudicium & consilium viri quamlibet magni, passus est Leonem occidere virum prophetam sibi dilectum, (nam vocat eum scriptura virum dei) & ob nullam aliam causſam, quàm quòd neglecto dei verbo secutus est interpretationem alterius prophetæ canitie, & authoritate reuerendi, qui habitabat in Bethel. Scripta sunt hæc, & ad doctrinam nostrã & omnium hominum, quó sciamus, quòd, cum viro sibi, aliòqui, dilecto, non pepercerit propter eam causſam, neq; nobis neque illis parciturus est. Imo non audeo propter iudicium Dei, & ne me anathematizet Paulus: Si Angelus de cœlo inquiens euangelizet vobis aliud euangelium, anathema sit. Et si forsan ego meis laboribus omnium non queam votis & expectationi satisfacere, meam tamen operam qualemcunque prestabo. Si non adsit facultas, non deerit tamen voluntas. 3. Reg. 13. 1. Pet. 5. 3. Reg. 13.

Prius

# De Iustificatione.

Prius quàm de Germana ac vera iustificationis ratione, ac modo verba faciamus, non ab re factum videbitur, si a definitione (ne de re incognita videatur esse disputatio) inchœmus. Prius itaque quàm enarrationem aggrediamur, ostendamus, quid proprie iustificationis vocabulo significetur: quàm diuersis modis accipi soleat in scripturis: quamque varia semper fuerat de ea hominum sententia: & non doctissimorum hominum diuersa, & pene contraria iudicia, verumetiam scripturarum authoritates, si quando diuersæ videantur, conferre, et in medium adducere: quò res ipsa, alioqui obscurissima, clarius eluceſcat. Iustificari vocabulum in scripturis nonnunquã accipi video, pro iudicari, seu in iuditio dicta sentẽtia, vel extra iuditium, dictis aut factis, coram hominibus, & in conspectu mundi, iustum approbari, laudari, pronunciari: quemadmodum is, qui bonam in iudicio caussam habuerit, & vbi secundum eum dicta fuerit sententia, iustificatus dicitur: id est pro iusto & bono iudicatus, et pronunciatus: & quem impij calumniantur, si a probis defendatur, iustificatus similiter dicitur Psalmista: afflictum inquit, & inopem iustificate, id est iustos pronunciate, & denunciatos a vi defendite. Vos iustificatis vos coram hominibus, vultis hominum

Psal. 81.

Luc. 6.

iuditio

iudicio pro iustis haberi. Qui iustificat impium, & condemnat iustum abhominabilis est vterq; apud deum: de hominis ibidem impij loquitur iudicio impio: qui impium pronunciat esse iustum: & iustum condemnat, quasi sit iniustus. Sic & Esaias: Iustificant impium pro munere. Sic & iustificatio nonnunquam accipitur pro officio iustitiæ & obedientia erga legem: vt, si præputium iustitias, seu iustificationes legis custodit, nonne preputium illius in circumcisionē reputabitur? &c. id est officia quæ præcepit lex. Atq; his modis iustificari, est hominū iudicio iustum pronunciari: verum hic nō est verus ille iustificandi modus, de quo nobis sermo est. Iustificari item dicuntur impij, quibus peccata non remittuntur, sed in impietate manent, comparatione deteriorum: Sic de Iuda loquens dominus: Iustificasti, inquit, sorores tuas Samariam, & Sodomam, in omnibus abominationibus tuis, quas feciſti. Significat item iustificari, de iustitia in iustitiam, seu de virtute in virtutem, progredi, & proficere, iuxta illud, qui iustus est, iustificetur adhuc: id quod verba proxime præcedentia ostendunt, qui sordet sordescat adhuc. Alio modo iustificari significat iusto dei iudicio, remissis, & condonatis gratis ex misericordia peccatis, quæ morti & male dictioni ob-

Roma. 2.

Ezc. 16.

noxium tenebat hominem, iustum censeri et pro iu
Psal.130. sto reputari. Hoc modo dicit Psal. Si iniquitates
observaueris domine, domine quis sustinebit? quasi
dicat nullus nisi cui peccatum dominus remittit.
Prou.20. Quis potest dicere mundum est cor meum, purus
sum a peccato? Non iustificabitur in conspectu tuo
Psal.143. domine omnis viuens. Si dixerimus peccatum non
1.Ioan. i. habemus nosipsos seducimus, & veritas in nobis
non est. Hoc modo Christus dominus, iustificator,
& seruator noster, iustificatio, & iustitia nostra
1. Cor. i. recte dicitur. Ipse factus est nobis a deo, iustifica-
tio, sanctificatio, & redemptio. Iustificari itaque
in scripturis passim accipitur pro absolui a pecca-
tis, absolutum iustitia donari, iustitia imbui, alie-
na, nempe Christi, atque adeo iustitia dei in Chri-
sto. Et iustificatio de qua nobis sermo, est a pecca-
tis absolutio, a captiuitate in libertatem, ab exilio
in patriam, & ciuitatem, a morte in vitam, reuo-
catio, & adiudicatio. Vocetur iustificatio peccato-
rum remissio, & iustificari proprie a peccatis ab-
solui: verũ cum remissione, ista sic cohærent vt ab in
uicẽ nõ queãt separari. Nã cui peccata remittũtur
is iustus liber, ciuis, filius, hæres, & regni consors
efficitur. Iustificari itaq; est a peccatis absolui, ab
exilio in patriã, & ciuitatẽ, de exhæredatione in

gratiam,

gratiam, in filiorum ius, & hareditatis consortiũ, res[illegible]ui, ac recipi: pro ciue, pro filio, haberi & acceptari: propter alienam iustitiam, qua sumus induti, & imbuti, per fidem: quàque nostra tegitur, & absorbetur malicia, & iniustitia, nempe Christi, qui nostram propterea naturam accepit, infirmitatib⁹ et ærumnis nostris factus abnoxius, ac peccata nostra, id est supplicium nobis ab peccata nostra debitum, in corpore suo portans, vt inquit Petrus, super lignum, vt ea expiaret, ac deleret, ne in iudicio nobis ad condemnationem cedant. Hæc inquàm nostra accepit, vt permutatione nobis terque quaterque fœlicissima, sua vicissim communicaret omnia, iustitiam, innocentiam, puritatem, sanctitatem, & veritatem: atque adeo dei ymaginem, quam dedit & impressit mentibus eorum, qui credunt in nomen ipsius. At licet cardo totius Christianæ nostræ religionis in iustificationis negotio vertatur. Magna semper tamen fuit inter doctissimos quosq; de ea disceptatio, vsque adeo vera eius notitia est obscurata. partim astu et calliditate satanæ, qui laborare solet, ne palã fiat, quod saluti hominũ maxime prodesse queat: partim ingeniosorũ hominũ nimia curiositate, qui simplicitate et sinceritate verbi nõ contẽti, altius quã liceat, quærũt ascẽ

partim vero obstinata quorundam hominum peruicatia, qui quàm suam, vel præceptorum suorum (in quorum verba iurarunt) opinionem relinquant, et saniorem amplexentur, rumpi malunt sibi ilia: Sũt et innumeri, qui veram de iustificatione doctrinam nolunt, quòd mundum amantes & ea quæ in mundo sunt, dum suam volunt iustitiam constituere, iustitiæ dei in Christo, nolunt subiici. Maxime vero obscurata est vera eius cognitio, hominum ignorãtia, quos impij illi hypocritæ fallunt et dementant, qui verbi dei contemptores vel ignari, impijs suis traditionibus, superstitionis plenis & hypocriseos, (quas citra verbum dei, & ex diametro quandoq; aduersus dei verbum excogitarunt, et instituerũt) omnem tum iustitiam, tum salutem tribuunt: quem admodum olim Israelitæ, calicum, vrceorum, et vestium baptismatibus, dilatationi fimbriarum, in oratione multiloquio, simulatæ inter ieiunandum tristitiæ. Et de non parendo parentibus, nec illorũ impiæ subueniendo propter corban: ac de permissa iurandi licentia per cœlum & terram, et quiduis quin imo et per dei nomen, modo ne falsum adiuretur: de traditionibus maiorum seruandis sine vllo vel timore, vel fide, vel amore dei. Hic vagus mentis error, tantum abest, vt sit iustificatio, vt sit impietas. Iis

sunt

sunt simillimi, imo nec faba similior fabæ, neque ouum ouo, quidam, nomine tenus Christiani, & qui christianissimi videri volunt sibi, qui in dierum, vestium, et escarum differentiis, imaginum cultu, iustitiam collocant, cœlibatum instituentes, iustificationis ergo, cum nec ipsi continentiæ donum habeant, multo minus, alijs eam donare queant, vt taceam de missis propiciatorijs, (quas vocant,) & indulgentiarum nundinis, atque alijs id genus innumeris. quibus, (quæ soli Christo debetur) iustificationem tribuunt. Et dum de ijs rebus sanciũt leges, earum transgressores, sine misericordia, ferro, & flammis, exponunt, quum interim ad diuinæ legis transgressores solũ conniueant. Pluris ne suas faciant leges, quàm dei, vel ipsæ pœnæ, quas in vtriusq; statuunt transgressores, satis indicant, et crudelis earundẽ satis docet executio: neque id mirũ: cum nõ diuinæ gloriæ, illustrãdæ, sed pecuniæ sibi colligendæ, non religionis, sed ambitionis, non pietatis, sed quæstus habeant rationẽ. Tã placet istorũ cultus deo, quàm placuit illorũ, de quibus dominꝰ, frustra me colunt inquiẽs, mãdatis, et doctrinis hominum. Esa. 29. Mat. 15.

Alij proprius accedere ad iustificationis scopum videntur sibi, hominum traditiones suo pede metientes, nec pluris eas facientes, quàm fieri debeant, omnem

omnem iustitiæ laudem transcribunt cerimonijs ab ipso deo institutis, cuiusmodi olim erant Israelitarum sabbatha, victimæ, holocausta, et cerimoniarũ illa, infinita pene multitudo, atque ipsa etiam circũcisio: qualia sunt et nostra, noui testamenti, noua sacramenta, a deo instituta ad exercendam fidem nostrã, et eam confirmãdã: ac vt sint nobis, iustitiæ et iustificationis ex misericordia dei, per fidẽ in Christum, certissima symbola, signacula, et indubitata testimonia: quorum externo tantum vsui, et operis ipsius (vt vocant) operati dignitati, omnis omnino, sine vlla vera in deum fide, timore, dilectione, sine vllo vel dei, vel fidei respectu tribuitur iustificatio: quæ soli solius dei misericordiæ, et Christi dignitati esset tribuenda Ea est enim humani prauitas ingenij, vt dum suis studet ac indulget affectibus, spreta, & cõtempta dei ordinatione, et verbo neglecto, aut diuinæ bonitatis ignarus (dum peccati conscientia stimulat animũ) in desperationem adigitur, credens deum inexorabilem: vel pro suo quædã ingenio excogitat, quibus deũ placet, ignorans num deus sit ea probaturus, cum verbũ dei non habeat. Aut bene institutis a deo in ædificationem, ipse in destructionẽ sibi, et item alijs abutatur, deũ fingens ac metiens ex humanis moribus, quasi perinde atque homo adulatione et blandiloquentia capi, et delectari possit ac cupiat: ignarus quid intus lateat in animo,

qui est omniscius scrutans corda et renes. Iustitiam hanc vocant homines: sed quò intelligamus quantū hæc iustitia, ab impietate differat, dicit pater, dicit item filius, frustra me colūt, qui labijs ad me appropinquant, et quorū cor longe est a me. Dominus de us per os Esaiæ prophetæ: hanc, quam ipsi vocant iustitiam, et in qua gloriantur: Sodomiticam et Gomorrheam abominationem appellat. Audite principes Sodomorum et principes Gomorhæ, dicit dominus. Quo mihi multitudinem victimarū vestrarū? plenus sum. Holocausta arietū, et sanguinē vitulorum et agnorū nolui: incensum abominatio est mihi: facta sunt hæc mihi molesta. Quando hanc victimarū, & sanctarū cerimoniarū veteris testamenti (quas præscripsit et serio iussit populū suū obseruare per os Moysi dominus) nondū abolitarū, (quòd is cuius tipū gesserant, nondū aduenerat,) iustitiā, seu iustificationē, sine animo et corde pio maledictionē, et abominationē vocat dominꝰ deus exercituū, deus Israel: quid cerimoniarū quæso, et traditionū, quas ex suo cerebro sine dei mādato excogitauerūt homines, et fāxerūt, iustitiæ, seu iustificationes valebūt ijs, quibus cor prauū, manus sunt et pedes, veloces ad effundendū sanguinē? quàm magnæ censeātur abominationes in cōspectu dei, iudicet ecclesia, iudicabunt enim qui sedebūt super sedes duodecim, iudicātes duodecim tribus Israel, in nouissimo die. Esay .29. Math.15. Esay .1.

*Alij cerimoniales Moysi, et a deo institutas, atq; humanas sanctiones non pluris facientes, nec celsiori eas gradu collocantes, quam oportet, in scopum iustificationis obliquo oculo intuentes, non recta tendunt, iustitiæ non primas dico partes, sed omnem prorsus iustitiæ laudem, humanis viribus, atque operum dignitati, quæ in lege decalogi describuntur imputatam volunt: si externe tantum legem obseruent, nihil perpetrantes, quod iuste poterit ab homine iudice vindicari, quamlibet interim animus sit prauis affectibus addictus, & sordibus inquinatus: quamlibet mente sit in legem dei rebelli, & corrupta. Cuiusmodi erant Scribæ, & Pharisæi, sanctioris, ac deficatioris vitæ homines in conspectu mũdi, inter Iudæos: qui tãtum abest vt hac sua iustitia iustificati sunt, vt nihilominus vocet eos dominus generationem prauam, & adulteram, progeniem, ac semen viperarum. Tantum abest vt sit hec iustitia remuneratione digna, & beneficio. vt iam recepisse eos mercedem dicat dominus: haud aliam expectandam. Vos iustificatis vos, inquit, coram hominibus: omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus, ideo receperunt mercedem suam Tantum abest vt pro iustitia eam agnoscat, vt nisi discipulorum suorum iustitia fuerit excellentior, sub iure*

Luke. 6.
Mathe. 6.

*iurando*

iurando protestatur, eos non visuros regnum dei. Tamq; est a iustitia quã probat deus aliena, vt quæ maxime. Dum suam volunt constituere iustitiam, iustitiæ dei non sunt subiecti, siquidem nec esse possunt. Rom. 11. Hi dum operibus volunt, & humanis meritis iustitiam tribuere, se sui iustificatores, et seruatores esse volunt, & sic Christum frustra mortuum esse. Huiuscemodi fuit impiissimus ille Pelagius monachus, crucis ac gloriæ Christi inimicissimus, qui inter triticum, in agro satum dominico, lolium infœlix seminauit, & zizania. ac veneno quod hauserat ex serpente, primo humani generis hoste, corrupit innumeros. Ex istius mali corui, malo ouo prodierunt, qui vniuersum pene mundum occuparunt. Asserunt in magnam diuinæ gratiæ, & Christi contumeliam, hominem posse esse sine peccato si velit, & resurgere lapsum, & suopte marte, viribus, operibus, gratiam, fidem, iustitiam, & salutem promereri, posse implere libero volũtatis arbitrio suisq; viribus, omnia mandata dei, & vt vno verbo dicam, posse cum deo iudicio contendere, in a pertam dei, & scripturæ sanctæ contumeliam. Si hec vera sunt quorsum opus seruatore, inquit Hieronimus ad Ctesiphontem: Si hec vera sunt, Christus frustra mortuus est, inquit Paulus. Et ex ijs Rom. xi. Gala. 2.

sunt qui gratiæ nomen admittunt, at in iustificatione aut parũ, aut nihil gratiæ tribuũt. Et si quãdo gratiæ tribuere quid videntur, operibus et meritis primas, gratiæ autẽ, & misericordiæ, vel infimas, vel nullas tribuunt: Non potest vel mica iustitiæ citra sacrilegium operibus tribui: quantũlũcunq; tribuitur operibus, tantundem ex diuinæ iustitiæ gloria decerpitur. Pelagium hunc sequũtur qui theologos se profitentur, et in ecclesia primas sibi deberi partes volunt. Hoc deterior hic Pelagius, & pernitiosior illo altero monacho machinarũ ærearum quas bombardas vocant inuentore, quód hic corporis dumtaxat, ille autẽ vtriusq;, cum corporis tum animæ interimendæ artem inuenit. Mirum quã sudarunt sancti patres, aduersus hoc monstrũ, aduersus hanc pestem. Augustinus in omnibus suis operibus, semper, et si minima daretur occasio, stilum aduersus hunc hæreticũ direxit: sciebat vir pius, hoc errore nullũ vnquã i ecclesia, pestilẽtiorẽ irrepsisse. Verũ nõ ab ipso Pelagio primũ, sed a diabolo hæc pestis traxit originẽ. Ab homine cõdito, quimimo a conditis angelis, hic error inualuit, neglectus scilicet dei, amor nostri, nimia cõfidẽtia, et stulta viriũ nostrarũ præsumptio. Hoc adeo peculiare malũ est quo, suadẽte diabolo primus noster parens est infectus, vt ossibus, ac medullis adhuc nostris, hæreat, hærebitq;, donec in puluerem, vnde sumptũ est, cor-

pus redigatur. Inter angelos permittente deo, (cuius prouidentiã venerari, nõ examinare debemus, vniuersæ viæ domini misericordia, et veritas) hæc pestis omniũ pernitiosissima, amor scilicet nostri, et viriũ stulta, ac superba confidentia est exorta. Lucifer viribus suis confisus, nõ dans gloriã deo, sibi placens, aiebat, ascendã supra thronũ dei, et ero similis altissimo: quẽ cum angelis suis apostaticis, ruderibus inferni deuictos tradidit reseruãdos, in iuditiũ illi⁹ magni diei. Hoc veneno inuasit ille serpens antiquus, primos nostros parentes in Paradiso. Si cõmederitis, inquiens, eritis sicut dij, cui dũ auscultarũt, eodem veneno tincti morti facti sunt obnoxij. Quũq; argueretur Adã inobedientiæ, iustificare se volens impius, ausus est dicere, et peccatũ in magnũ ipsius, et nostrũ etiã malũ, mẽdaci excusatione prætexens, mulier quã dedisti mihi, fefellit me: iniustitiã domino, et sibi innocẽtiã tribuẽs. O familiare malũ hõnibus, quod cõtraxere primũ angeli, quod suadente diabolo contraxit primus homo: quod et traiecit in omnẽ posteritatẽ. Morbus quódã modo nobis est hæreditarius. Nihil carni et sãguini familiarius quã superba in viribus nostris et operũ iustitia (impietatẽ rectius dixero) cõfidentia, atq; amor nostri. Dum sibi videtur homo aliquibus virtutum gradibus, vel par alijs, vel superior esse, cristas sumit, et

Esay. 14. 2 Pet. 2. Iude. 1.

ſupercilium Phariſaicum: Non ſum ego inquiens, ſicut cæteri hominum, & ſicut hic Publicanus: abunde ſe iuſtum arbitratur. Verum cum hac ſua iuſtitiæ laude, duplo quam ante fuerat, a facie iudicantis dei diſcedit iniquior. Non ex alterius moribus, ſed ſuo ſe quiſq; pede metiatur, opus ſuum probet vnuſquiſque inquit Paulus. Quó nos probe excutiamus, ad tribunal dei reuocanda erit noſtra conſcientia. Vbi noſtram quæ tantopere nobis arridet iuſtitiam, ad diuinæ iuſtitiæ ſplendorem contulerimus, quantæ tenebræ, quanta iniuſtitia, illa noſtra iuſtitia ſit, deprehendemus. (Inter ſanctos eius nemo fidelis inquit Iob, & cœli non ſunt mundi in conſpectu eius, quanto magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quaſi aquam iniquitatem? Non iuſtificabitur in conſpectu eius omnis caro: Si iniquitates obſeruauerit, quis ſuſtinebit? Eant igitur quò digni ſunt impij Pelagiani, cum hac ſua peſte, qua Chriſti gloriam obſcurant, quaq; interturbant vſque adeo, & infeſtant eccleſiam Dei.

Gala 6.
Iob. 15.
Pſal. 130.

Sunt ex aduerſo, a iuſtificationis ſcopo non minus aberrantes, qui iuſtos ſatis arbitrantur ſe, ſi de fidei nomine gloriantes, fidem, & iuſtitiam apud alios venditent, quum ſint & infideles, & impiiſſimi. De quibus diuus Iacobus in ij. cap. ſuæ epiſtolæ,

&

& Paulus .i. Cori. xiij. (redunt deū (vt ipsi aiunt) in gratiam se recepisse, condonasse peccata propter filium: Christū satisfecisse iudicio patris: se ablutos, iustificatos, & sanctificatos misericordia Dei per sanguinē Christi, & recte quidē hæc omnia, si corde ista crederent & vere, ad iustitiam. Non hic sistunt gradum, sed vltra progrediūtur, sic apud seſe statuant, ista dum credimus, sola hac fide iustificamur, opera non exiguntur. Obscurarent fidem, & gloriam iustificationis, & crucis Christi: vbi superabundauit delictum, superabūdauit & gratia: inebriemur, luxuriemur, mœchemur, peieremus, occidamus gladio, furemur, vi opprimamus proximum, grassemur per omnes scelerum species, quid tum postea? certum est nos perire non posse: electi sumus, prædestinati sumus ad hæc ante mundum conditum: his mortem meremur, sed proiecit hæc deus pater, in humeros Christi. Peccemus, vel non peccemus, nil interest. O perfidi, ingrati, scelesti, est ne hæc Christiana fides? nihil certe minus. Est ne hæc vox electi? imo audio vocem reprobi, vocem serpentis, vocem Adami, Mulier quam dedisti mihi, decepit me. Ego non elegi vos dicit dominus, vt peccetis, sed vt eatis, & fructum adferatis, et fructus vester maneat. Elegit nos in Christo inquit Paulus Ioan. 15. Ephe. 1.

Paulus, ante iacta fundamenta terræ, non vt grassemur, & peccemus, sed vt essemus sancti, & irreprehensibiles, in conspectu eius per charitatem. Vocauit nos deus, nõ in immunditiã, sed in sanctificationẽ, inquit Paulus. Pro omnibus inquit mortuus
1. Thes. 4 est Christus, vt qui viuunt, non sibi viuant, sed ei,
2. Cor. 5. qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit. Mortuus est pro nobis Christus, inquit Petrus, et peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, vt pec-
1. Pet. 2. catis mortui, iustitiæ viuamus. Misit Deus vnigenitum filium suum in mundum, vt tolleret peccata mundi, at cuius tollendi caussa venerat, illius vel admittendi, vel prætexendi, nunquam dedit occasionem. Venit in mundum Christus, non
1. Ioan. 3. vt stabiliret, sed vt destrueret, & dissolueret, regnum & opera diaboli. Minister mortis non est, sed author vite. Tantum itaque abest vt hæc sit iustificatio, vt sit insignis in deum contumelia: verbum enim & dei nomen propter eos male audit, & blasphematur, ab incredulis:

Alij ne videantur omnẽ iustitiæ gloriam adimere Christo, et sibi eam tribuere: Fidei & operibus bonis simul, iustitiæ laudem tribuunt sic, vt alterũ per se ad iustificandũ nõ sit efficax, sed vtrumq; simul: Et sic christũ dimidiatũ tantũ faciũt seruatorem, in

rem, in thronũ ascendentes: vt si non superiores, in iustificatione, saltem pares videantur filio dei. Verum quam mercatus est iustificationis gloriam suo sanguine, ac morte, neque integram, neque partem illius vnquã dabit alteri. Qui vel micam illius alteri tribuerit, sanguinem testamenti conculcat. Atque interim inter istos qui se sui seruatores esse volunt, vtri, operibus ne an fidei potiores ac priores in iustificando partes debeant tribui, non parua est inter eosdem contentio. Alij hominis voluntatem bonam & opera similiter bona, gratiam, & fidem præcedere oportere aiunt, quibus fidem, spiritum, iustitiam, & vitam, promereantur. Et sic iustificationem quæ per fidem est, restringunt ad principium conuersionis nostræ ad fidem: & ad opera quæ vocant meritoria fidem præcedentia, exemplo Cornelij in actis Apostolicis, cuius preces & eleemosinæ prius exauditæ essent a deo, quàm fidem esset edoctus a Petro: de vera hominis iustificatione quám bene sentiant facile est iudicare. Quum dicat Paulus fidem esse donum dei, non ex operibus: vt velimus & vt perficiamus deum operari, imo & cogitandi idoneitatem esse a deo. Preces Cornelij exauditæ sunt: at spiritum orandi esse a deo ostendit Paulus inquiens. Ephes. 2. Philip. 2. 2. Cor. 4.

Nos

Roma. 7. Nos sicut oportet orare nescimus, sed spiritus ipse
Rom. 10. adiuuat infirmitatem nostram: & quomodo inuocabunt inquit, in quẽ non credunt? Nihil enim tam arguit fidem habuisse Cornelium, et si non plenam, & perfectam, etiam antequam venerat ad eum Petrus, quàm preces ipsius, quia nisi credidisset non inuocasset. Exemplum itaque Cornelij potius probat fidem infantem, & teneram præcedere fidem adultam, & plenam, quàm quid aliud: Habet enim fides sua incrementa & item deliquia: habet suam, & infantiam, pueritiam, adultam, & virilem seu plenam ætatem. Alij itaque ex ijs ipsis qui fidei & pijs simul operibus, iustitiam tribuunt, spiritũ
Rom. 14. dei, & fidem præcedere dicunt, propter illud sine
Hebr. xi. fide impossibile est placere deo: & illud: non sumus
2. Cori. 3. idonei cogitare aliquid ex nobis, tãquam ex nobis, sed omnis nostra idoneitas, ex deo est: & illud: iustificati gratis per gratiam ipsius: quòd si gratia
Roma. 5. iam non ex operibus, alioqui gratia iam non est gra
Roma. xi tia. Aiunt itaque gratiam præcedere, qua fides datur, eamque charitate formari, & perfici, & iustificationem non fieri, nisi charitatis operibus cum fide concurrentibus: vt sic tandem ex operibus, fidelis iustificatus intelligatur. At isti (vt iam diximus) Christum dimidiatum tantum volunt seruatorem

torem Si ex operibus consummata intelligatur iustificatio: nemini in hac vita contigisse videtur iustificatio: quũ ex nobis hic in carne degentibus nullus potert ostẽdi, qui legi dei per omnia satisfecit: Paulus de se loquens. Ego inquit sub peccato venũdatus sum: mente seruio legi dei, carne vero legi peccati: Ego me arbitror inquit perfectionem hanc nõ dum apprehendisse. Et Ioannes: Si dixerimus peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Et diuus Iacobus. In multis offendimus omnes. Omnibus item dixit dominus, cum feceritis omnia quæ præcepta sunt, dicite quod serui inutiles sitis. Omnes docuit orare. Et remitte nobis debita nostra. Quòd si debita non agnoscerent, aut frustra præscripsit eam orandi formulam, aut certe ipsi sic præcantes irriderent potius, quam orarent: Vsque ad finem mundi, inquit Augustinus li. retractationum. i. cap. xxix. Dictum est omnibus fidelibus vt orent dimitte nobis debita nostra. Ideo mandata dei impleta reputantur, quando quod non fit ignoscitur. Item et Hieronimus, cunctorum sãctorum inquit, in carne degentiũ, imperfecta perfectio est: et idem Paulus ad Philippenses. iij. cap. de se testatur. Quando ergo perfecta, & consummata erit hec iustificatio, si ex nostra obedientia pendeat

Roma. 7.

Philip. 3.

I Ioan. 1.

Iacobi. 3.

1. Cor. 6. iustitia? Quando licebit cum Paulo dicere: abluti sumus, sanctificati sumus, iustificati sumus, in nomine domini Iesu? Quãdo licebit dicere, iustificati ex
Roma. 5. fide pacem habemus cum deo? Ac dicet forte quis. Si præcipua diuinæ legis capita obseruentur, non impeditur iustificatio propter minora omissa: At
Math. 5. huic opinioni obuiat Christus inquiens, si quis soluerit vnum ex mandatis hisce minimis, minimus vocabitur in regno cœlorum. Obuiat diuus Iacobus:
Iacobi. 2. Si quis in vno offenderit factus est omnium reus. Sunt qui argute nimis, iustificationem tribuunt fidei, non quatenus absolutionem & remissionem a peccatis, sed quatenus Christum ipsum apprehendit, sic vt ille inhabitans in cordibus nostris essentiali sua nos iustitia inuoet, & nos iustos reddat.

Alij Pelagianam syrtim præcauentes, aiunt, sola fide iustificari hominem, sine aliarum virtutũ, atque operum adminiculo: id quod Paulus subinde repetit, ac cõmemorat: & vniuersa prædicat scriptura: quæ docet fidei soli iustitiam imputari. Si quis illorum pace hic ex eis sciscitetur: Nũ hæc fides sola, ad iustificandum sit efficax sine charitate, aut charitatem comitem habeat? Sine charitate esse ne

gabunt

gabunt prorsus, æque ac solem sine luce, & calore esse. & prius quam charitas adfuerit, fidei appellatione indignam: Si ergo fides non censetur, nisi adsit charitas, charitati cur non tribuitur pars in iustificatione? cum sine charitate fides nihil efficiat, imo mortua sit? hic dicent. Nõ propter fidei nostræ dignitatem, sed propter misericordiam dei iustificantem, quam apprehendit fides, propter apprehensionem misericordiæ, quæ iustificat in Christo, fidei tanquam instrumento tribuitur iustificatio. Hic rursum quæritur. Num hæc fides misericordiam apprehendens sine charitate possit consistere? Num sine charitate ad misericordiam apprehendendam sit efficax? Num fides sit? dicent: minime. Mortuam dicent & nullius momenti, & fidei appellatione indignam. Siue ergo dicatur fides iustificans, siue fiducia misericordiæ, Euangelicis promissionibus innitens, siue spiritualis animæ oculus, iustitiæ lucem in Christo intuens, & intuendo percipiens, siue, at alij volunt, spiritualis animæ mendicantis manus ex benignitate Dei beneficium remissionis accipiens, siue instrumentum, misericordiam iustificantem apprehendens, semper ad eundem tendit scopum argumentum.

Quòd neque ad iustificandum sit efficax: nec ad fidendum, misericordiæ promissioni, & gratiæ; nec ad percipendam, apprehendendàm ve misericordiam, sine charitate: cũ, & ipsis concedentibus, nec fides est. Quid est ergo quòd in iustificatione charitati pars non tribuitur? Cur non fide simul & charitate, hominem iustificari potius dicunt, quàm fide sola? quum, vel ipsis concedentibus, sine charitate nequeat esse fides illa, qua iustificantur impij, viuunt pij, quin appellatione fidei vsqueadeo indignã volunt, vt ne vmbra quidem fidei debeat, nominari. Solàmne dicemus, & non solam? Hos ego non dixero aberrasse a scopo. Absit, quum sint & in hac sententia, veteres illi, seculi illius, in quo maxime post Apostolorum tempora, floruit ecclesia. Basilius ille magnus: Ioannes Chrysostomus: Ambrosius, Augustinus, sicuti mox dicemus. Aberrasse eos non dico. Indignum me haberi volo, qui vel corrigiam calciamentorum eis soluam: Sint vera quæ ab eis narrãtur, sicuti vera sunt. (Nam hac sententia, hominem iustificari, sola fide nihil certius) Verum hæc loquendi ῥαβδοσις, (qua in enarratione iustificationis per solam fidem vti solent) quibusdam videri potest non satis obuiare hypocritarum iustiariorum cauillis, votisq́, & expectationi simplicium &

cium & rudium satisfacere, quò scrupulus, qui offendit, ab illorum animis queat amoueri. Si potest simplicior & familiarior, a me dari, quò simpliciũ et piorum votis satisfiat (curiosorum ingeniis non est quod queat satisfacere) operam meam Lubens præstabo. Omniũ nostrum est (vt ait Petrus) rationẽ reddere percontantibus, de ea, quæ in nobis est fide, & spe. Nèque id vicio verti cuiquàm debet, quód citra aliorum iniuriam, exiguum talenti minutum, quod sibi creditum accepit á domino dispensandum, cum vidua illa paupercula, (cuius Lucas mentionem facit) in gazophilatium, aut graniolum quod accepit, in horreum dominicum ad gloriam dei, inter aliorum, immensas frumenti cumeras, studuerit inferre: cum stet vniuscuiusque sententiæ fides, (modo pia sit et a veritate nõ abhorreat) penes suum authorem, iudicium vero omniũ penes ecclesiam. Sunt præterea, qui iustificationis caussas ponũt, alij plures, alij pauciores, caussam efficientem, eamq; volunt esse duplicem, imperantem scilicet, & obsequentem, caussam formalem, materialem, instrumentalem, & finalem, eamq; non vnam, sed alij duplicem, alij triplicem. Addunt iis alij caussam impulsiuam duplicem: instrumentalem item duplicem: caussam acceptiuam. Caussas applicatiuas pla-

uas plures: causſas vero finales colligũt alij decem, alij viginti. At quia hæ causſarum distributiones, dialecticis potius quam ſimplicibus conueniant, ſintque obſcuriores, quam vt a rudiori populo queant intelligi, (quorum ſalus perinde chara eſt deo, atque illorum, qui omnem vitam in ſcholis tranſegerunt,) eas ſimiliter miſſas faciemus. Hæc hactenus de variis hominum ſententiis, & opinionibus, in negotio iuſtificationis. Ex quibus conſtat (vt in initio dixerim) præſtantiſſimos excellentis ingenij viros, eruditione & doctrina clariſſimos, haud parum hac in re fuiſſe impeditos: cuius tamen difficultatem ſuperat vtilitas, & vtramque vincit neceſſaria eius cognitio.

Hic iam ſcio, te inprimis deſiderare lector candidiſſime, & expectare, prius quam meam, hac in re ſententiam dicam, veterum illorum ſententias, quos eccleſia ſemper in magno habebat pretio. Priſcorum patrum in hac re ſententias (quorum opera in manus venére meas) quantum ego poſſum memoria colligere, citra odium aut gratiam cuiuſquam, vere, & bona fide proferam: quó expectationi tuæ ſatisfiat. Ac vt ab antiquiſſimis, qui de iuſtificatione ſcripſerunt, incipiam, Baſilij illius magni ſententiam in medium produco. Is in ſermone de humi-

Baſilius.

litate

litate circa principium, sic ait, Ea demum perfecta est in deo gloriatio, quando, neque propter suam ipsius quis dignitatem & iustitiam extollitur, sed agnoscit se quidem vera destitui iustitia, & sola in Christum fide iustificatum esse. Et idem in sermone de pœnitentia circa principium: filius dei inquit, iustitia est. Nos vero ex iustitiæ ipsius participatione iusti sumus Hec Basilius. Cyprianus, omnem iustitiæ laudem, & gloriam tribuit deo. In Deo gloriandum est inquit, quando quidem nostrum nihil est. Theophilactus in epistolam Pauli ad Romanos cap. iij. in fine cap. Vbi primum quis credit inquit, iustificatus est: verum in cap. ij. epistolæ Pauli ad Ephesios videtur (sicut ante eum Origenes) de iustificatione fidei dubitare. Origenes in Epistolam Pauli ad Roma. in cap. 2. Ibi factores legis, iustificabuntur, factores vocat, qui spiritum fidei habent: & in cap. 3. in fine cap. super eadem epistola, dicit sola fide posse hominem iustificari, et si nulla opera præcesserint, vel sint secuta: pro exemplis dat Mulierem Cananeam, Centurionem, mulierem illam fluxu sanguineo laborantem: Latronem in cruce pendentem cum domino: De quorum inquit fide, & iustificatione, fit mentio, de operibus vero nihil. En vt fidei iustificationem tribuit?

Cyprianus.

Theophilactus.

Origenes

At si

Atsi reliqua lector quæ in commentariis illis scripserit, diligenter percurrerit, videbit opinor, Paulo minus tribuere eum, humanis viribus, quàm tribuit Pelagius, nulla aut rara gratiæ, & fidei habita ratione. Augustinus constātissimus, diuinæ gratiæ assertor, & Pelagianæ hereseos impugnator strenuissimus, omnem iustitiæ, & salutis nostræ gloriam soli dei gratiæ, & misericordiæ adscribit. In epistola ad Sextum, in Psal. 18. sermone. ij. in Psal. 144. & 31. & in omnibus passim fere operibus suis: vbi dicit Apostolus, iustificati gratis per gratiam ipsius: Cum audis gratis inquit, tace de meritis, quia gratis ideo gratia: Non est enim gratia nisi gratuita, quia nihil boni ante feceramus, vt talia bona mereremur, nihil præcessit in meritis, nisi vnde damnari deberemus. Si vis alienus esse a gratia iacta tua merita, & in. d. Psal. 18. Non solum homines nos, sed etiam iustos, si iusti sumus, ipse fecit nos, & non ipsi nos. Et in libro quem scripsit de fide & operibus, sciat quisq; per fidem, se posse iustificari, inquit, etiā si nulla opera præcesserint, sequuntur enim iustificatum, non præcedunt iustificandum. At dices: si nihil nos afferimus quo iustificemur, quid est, quod ait Augustinus de verbis Apostoli, sermone. 15. Qui fecit te, sine te, non iustificabit.

Augustinus.

Augustinus de verb. Apostoli. ser. 15.

stificabit te sine te? Cur mutilam ex Augustino sententiam adfers? cur non persequeris quæ ibidem scripta sunt, quibus ostendit Augustinus, quid per ea verba intellexerit: dum ait, qui fecit nescientem non iustificat nisi volentem. Verum: sed vnde hæc voluntas? ex te ne, an aliunde? Ex ipso quære Augustino, & dicet tibi: Is, in libro de bono perseuerantiæ. c. fina: Qui fecit caput nostrum Christum hominem talem, inquit, qui nunquam habuit, vel habiturus sit voluntatem malam, ipse etiam in nobis membris eius, fecit ex mala voluntate bonam. Qui ergo fecit hominem, cum non esses: vt esses iustus, ipse etiam ex nolente fecit volentem. Et in libro de prædestinatione sanctorum. capi. ij. Vtrunq; enim & velle & facultas bene operandi, donum est dei. Si nunc viueret Augustinus, haud dubie in hunc modũ secum ratiocinantem lubenter admitteret: Dicis Augustine: qui fecit te sine te, non iustificauit te sine te. Dic quæso, quid tuum ex te in iustificatione adfers quo iustificeris? Operane, aut merita, quæ vocantur? Minime, inquies: ad Sextum de iustificatione scribens: quando quidem ante gratiam & fidem nullum est meritum: non est in meritis in quo gloriari possit homo, nisi vnde esset iure damnatus. Noli itaque iactare tua merita, si

*Augusti. de bono perseuerantiæ.*

*Augusti. ad Sextũ de iustificatione.*

Ibidam. non vis alienus esse a gratia: Si non opera & merita, saltem fidem ex te adfers? Absit, inquies, ibidē, vt fidem mihi assumam, quia donū est dei, ne quis glorietur. Forte orationem? Nequaquam dices: ibidem. Quia orare nequeo, nisi spiritum orationis & fidei accipiam a deo. Nos sicut oportet orare nescimus: & quomodo inuocabo in quem non credo? Bonam fortasse voluntatem ex te adfers? Et ne id quidem dices: deus est, qui operatur in nobis & velle et perficere pro sua bona voluntate: ipse est qui ex mala nostra voluntate bonam (vt iam dixi) facit. Quid ergo? desiderium forte, ex te, & cogitationem adfers? nihil minus inquies. Quoniam non sumus idonei ad cogitandum aliquid ex nobis tanquam ex nobis, sed omnis nostra idoneitas ex deo est. Quid ergo? dicis deum qui te fecit sine te: non iustificat te sine te. Dic amabo: dic sodes, quid istuc tuū est quod ex te ad tui iustificationem adfers? Responde inquàm, interroganti, non mihi, sed domino: narra si quid habes quo iustificeris. Respōdebis scio, id quod affirmasti sæpe numero, prorsus nihil, nisi, quæ, ex misericordia remittantur, ac deleantur, peccata. Nam in eo ipso sermone in quo hæc tua verba habentur, non iustificat te sine te: Si deus te homūē fecit, inquis, et tu te iustum facis, melius aliquid

Ephes. 2.
Ibidem.
Ibidem,
Rom. 8.
Roma. 10
Philip. 3.
2. Cor. 3
Esaï. 42.

facis

facis quàm fecit deus. Et in Psal. 144. Nemo, inquis, deo tribuat quia est, et sibi tribuat quia iustus est: Melius enim est quod tibi vis tribuere quam illi. Melius est enim esse aliquid quia iustus es, quàm quia homo es: inferius aliquid das deo & superius tibi. Totum ipsa da: nusquam iactes tua merita, quando quidem illius sunt dona. Et in Psal. 58. Si tu mihi dedisti vt sim, & alius mihi dedit vt bonus sim: melior est ille, qui dedit mihi vt bonus sim, quam ille qui dedit mihi vt sim. Porro quia nemo te melior, nemo te potentior, nemo in misericordia benignior: a quo accepi vt essem, ab eo etiam accepi vt bonus essem: Abs te inquàm, O deus meus misericordia mea: hæc Augustinus. Deus itaque qui hominem fecit cum non esset, sanctum iustum & bonum, suaque ipsius culpa (dum a conditore bono per rebellionem deficeret) malum factum & impium: iustificat, sed non nisi credentem & volentem: verum ipse deus, qui & creauit dum non esset, & iustificauit cũ malus esset: ex infideli credentem, & ex non volente volentem facit: ipsi gloria. Ad hæc, malæ illæ mentes, mali animi, qui mutilam hanc Augustini sententiam citant, nolunt animum aduertere, quòd suam quærentes iustitiam constituere, iustitiæ dei in Christo nolunt subesse.

Neque id mirum videri debet, quod mutilam hominis mortui sententiam in suam confusionem, & ignominiam audeant adducere: cum pro suo more, nõ vereantur in suam ipsorum pernitiem, verba mutilare omnipotentis, & inæternum viuentis dei: Patris diaboli vestigia insequentes, qui filium dei suis technis aggredi non est veritus, inquiens, mitte te deorsum: quia scriptum est: angelis suis mandauit vt te custodiant, ne ad lapidem impingas pedem tuum. Ex industria relinquens, quod scriptum erat: non tentabis dominum deum tuum. Augustinus itaque, in hunc vnum scopum collimauit, quòd sola dei gratia per fidem iustificatur homo. At instituti nostri non est, vel Augustini, vel alterius cuiuscunq;, sed dei dumtaxat verba enarrare, cui gratia, cuius solius nomini detur gloria, qui ex mala voluntate bonam facit, qua gratiæ vltro oblatæ assentiamus, fidemq; qua gratis oblatam apprehẽdamus pro sua benignitate donat. Ioan. Chrysostomus, nunc operibus, nunc gratiæ & fidei, iustificationem tribuere videtur. In c. 1. Euangelij secundum Ioannem: dicit deum suis beneficiis non præuenire nostras volũtates: si tamen locus vacat mendo. Et idem in plerisque suis homilys iustitiam & salutem videtur operibus tribuere: Verum in Math. c. 26. homilia. 83.

Chrysostomus.

Nullo

Nullo modo, inquit, sufficit voluntas hominis, nisi auxilio superiori roboretur. Et idem de lege, & fide. Oportet ante lucere fidem inquit, & opera, fidei esse pedissequa. Et idem in capite tertio epistolæ Pauli ad Galathas, ibi quotquot ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt, demonstrat eum, inquit, qui sola fide nititur, benedictum esse. Et idem in c. 1. ad Titum homil. iij. Si credis, fidei, inquit, cur alia infers? quasi fides iustificare nõ sufficiat solu. Hæc Chrysostomus. Ambrosius, sola fide hominẽ iustificari dicit nullo operum respectu ad Roma. iij. iustificamur gratis, inquit, quia nihil operantes, ne ꝙ vicem reddentes, sola fide iustificati sumus dono dei. Et priori epistola ad Corinthios cap. 1. Constitutum est a deo inquit, vt qui credit in Christum, saluus sit sine opere, sola fide accipiens remissionẽ peccatorem, & in hac sententia perstat. Hieronimus in cap. 2. epistolæ Pauli ad Galathas scribens, & in pleriſq; suis epistolis, stare videtur totus ab operibus, iustificationem ijs ascribens. At idem in dialogis suis aduersus hæresim Pelagianam, longe diuersum videtur sentire. In epistola item ad Ctesiphontem dicere hominem inquit, esse sine peccato si velit, quam non excedit blasphemiã, que hæreticorum venena non superat? En vt doctissimi viri

Ambrosius.

Hieronimus.

in hoc

in hoc negocio impediantur. Alij aliis, & plerique etiam sibi, (nisi illorum dicta diligentius expenderimus) aduersi, & contrarij, videbuntur.

Sacræ forsan scripturæ phrasis qua in diuinæ voluntatis mysteriis enarrandis vti solet spiritus sanctus, a plerisque minus diligenter animaduersa, huius tantæ varietatis caussa esse potest. Nisi scripturæ sanctæ phrasim & tropos magno iudicio & graui expendamus, & oculis pæne lynceis contemplentur, non minus videbuntur & scripturæ ipsæ inter se contrariæ. At contrarietatem in scripturis admittere, perinde est, ac spiritum sanctum quo inspirante (vt inquit Petrus) & scripserunt & locuti sunt sancti dei homines, contrarietatis arguere & inconstantiæ: absit vero a pijs animis hæc tanta blasphemia.

Occurrunt in scripturis, quæ omnem omnino iustitiam, & salutem, solis videntur operibus tribuere. Occurrunt iterum, quæ omnem tum iustitiæ tum salutis laudem, soli fidei, sine vllo quorumcunque operum respectu, videntur adscribere: at tam est impossibile scripturas esse inuicem contrarias, quam est impossibile spiritum sanctum sibi esse contrariũ. Scripturarum phrasis & tropi, varii sunt: et ipsa

at ipsa scripturæ veritas, vna eademque est, & pulchre constat sibi. Et vt exemplo res clarior euadat: primum quód bonis operibus iustitia acquiratur, & salus, consequentia scripturæ testimonia, videntur satis probare. Et hæc iustitia vestra, dicit dominus, si custodieritis hæc præcepta omnia. Erit pro iustitia coram domino, reddere depositum pauperi. Zelus in vindicando probro populi Israhelitici, reputatus fuit Phinee ad iustitiam. Stetit Phinees, inquit Psalmista, et placauit dominum, & cessauit quassatio, & reputatum est ei in iustitiam, a generatione in generationem. Qui ambulat in integritate hic iustus est, inquit Salamon. Et Petrus in Actis Apostolicis capite. 10. vt meminit Lucas: In veritate comperi, inquit, quôd ex omni gente qui facit iustitiam acceptus est illi. Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Eleemosina extinguit peccatum sicut ignis aquam. Reddet vnicuique dominus secundum opera sua.

Deut. 6.
Deut. 24.
Num. 25.
Psal. 116.
Acte. 10.
Luk. 7.
Prou. 15.
Marh. 16.

Quin & ipsum Paulum audiamus, qui præter cæteros toties vrget, ac ingeminat, gratia gratis, & fide iustificari hominem. Ait enim gloria & honor, omni operanti bonum: Ira & indignatio, omni operanti malum.

Roma. 2.

Et vnus-

1 Cori.3. Et vnusquisq; mercedem accipiet secundum suum
laborem. Recipiet vnusquisq; quod gesserit, per cor
2 Cor.5 pus suum, siue bonum, siue malum. Non auditores
Roma.2. legis, sed factores iustificabuntur. Bonum certamẽ
2.Tim.4 certaui cursum cõsummaui, de reliquo, reposita est
1.Cor.13. mihi corona iustitiæ. &c. Si habeꝝ omnem fidem,
ita vt montes transferam, charitatem autẽ non ha-
buero, nihil sum. Et diuus Iacobus: Nonne Abrahã
Iacobi.2. ex operibus iustificatus est, offerens filium suum
Isaac, super altare? Nonne Raab ex operibus iusti
ficata est, suscipiens nuncios Iosue, & alia via eiici
ens? Vides itaq; O homo inanis, inquit, quoniam ex
operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum?
Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, & fi-
des sine operibus mortua est. An non videtur hæc sa
tis probare iustificationem ex operibus? Ex aduer-
so nunc videamus an non sufficienter scripturæ vi
deantur probare, iustificatum iri hominem per fi-
dem sine operibus. Et primum cõmittamus prophe
tam, prophetæ, Dauidem sibi, euãgelium euangelio
& Paulum Paulo: Omnes iustitiæ nostræ velut pã
Esai.64. nus menstruatæ. Quis huic panno iustitiam tribu-
Ierem 7. et? prauum est cor hominis, et ad mala propensum,
Iob.4. ab adolescentia sua. In angelis reperit prauitatem,
quanto magis qui habitant domos luteas. Inter sãc-

tos eius

as eius ne no est fidelis, & cœli non sunt mundi in
conspectu ipsius: quanto magis abhominabilis, et in-
utilis homo? Beati quorum remissæ sunt iniquita- Psal. 2.
tes, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui Psa. xxxi
dominus non imputauit peccatum. Si iniquitates ob Psa. cxxx
seruaueris domine, domine quis sustinebit? Non in- Psa cxliii
tres igitur in iuditium cum seruo tuo, quia nō iusti-
ficabitur in cōspectu tuo omnis viuens. Quis potest
dicere mundum est cor meum, purus sum a peccato? Prou, xx.
per misericordiam et fidem purgantur peccata. Cō- Prou. xv.
clusit scriptura omnia sub peccatum, vt promissio Galat. iii.
ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Christus Luc. vii.
ad peccatricem ait, fides tua te saluam fecit. Et ad Math. 8.
mulierem fluxu sanguineo laborātem, fides tua sal-
uam te fecit. Et Petrus in actis Apostolicis. Fide pu- Acte. xv.
rificat corda deus. Nunc Paulum Paulo committa- Abacuc. 2.
mus: Iustus ex fide viuit. Credidit Abraham deo, Rom. 4.
& reputatum est ei ad iustitiam. Lex pedagogus Gene. xv.
noster fuit ad Christū: vt ex fide iustificemur: præ- Rom. iiii
uidit scriptura quod ex fide iustificat Gentes deus. Galat. iii.
Si ex lege esset iustitia, iam Christus frustra mor- Gala. 2.
tuus est. Gratia seruati estis per fidem, & non ex Ephes. 2.
operibus. Vt inueniar non meam habens iustitiam
quæ ex lege est, sed eam quæ est ex fide Christi, quæ Philip. 3.
ex deo est iustitia per fidem. Arbitramur fide iusti

ficari hominem absq; operibus legis. Iustitia si ex operibus, iam gratia non esset gratia. Ei vero qui operatur, merces non imputatur secundum gratiã, sed secundũ debitum. Ei vero qui non operatur credenti tamen in eum, qui iustificat impium, fides ipsi reputatur ad iustitiam: quoniã iustus ex fide viuet. Quid dicemus ad hæc? opera iustificant, & non iustificant? An prophetæ sibi inuicem sunt contrarij? Num sanctus pater, et sapiens filius, Dauid inquã, & Salamon, sic inconstantes sint, vt nesciant quid dicant? absit. Num sacrosanctum dei euangelium narrat incerta? absit. An Petrus & Iohannes non constant sibi? Num Paulus dissentit sibi? absit. Nũ spiritus sanctus qui per ora prophætarum, hæc est prolocutus, qui loquebatur in Petro, loquebatur et in Paulo, in Ioanne, et Iacobo, num est diuisus, num contrarius sibi? absit. Id vel cogitare impiũ plane et contumelioſũ foret. Valeant vt digni sũt male feriati, ac impij porphiriani, cũ suis calũnijs, quos istiusmodi delectãt blasphemiæ: quoniã deus noster deus verax est, omnis autẽ homo mẽdax. Imo hæc omnia quæ a spiritu sancto tradita sũt tã pulchræ sibi consonãt, vt idẽ omĩo et scribant, et dicant: quibus vti dignat⁹ est ad hæc manifestãda organis, et instrumẽtis

Rom. 3. Rom. 11, Rom. 4. Rom. 4. Rom. 3.

Pro sentẽtiarum itaq; a patribus traditarum, ac pro troporũ et schematũ scripturæ sacræ cõciliatione, in iustificatõis negotio gradus faciem⁹ quatuor

Sola fide, iustificari hominẽ, verum est, sed suo loco et gradu. Operibus vere bonis hominẽ iustificari, et id verũ quoq:: sed suo etiam loco: Præterea fide et operibus coniũctim, hominẽ iustificatũ iri: haud dubium: sed suo dũtaxat gradu, locòq;. Rursus si vel fides, vel opera, de suo deturbentur locô, et gradu, neque fide sola, neq; fide, opera licet secũ coniũcta habeat, hominẽ iustificari dicimus, apud tribunal dei. Atq; interĩ gratia, benignitate, et misericordia dei, iustificari eũ quicũq; iustus est, proprie, vere, et germane, verũ fatemur perpetuo: et quàmlibet cætera suis deturbentur locis, hanc propositionẽ manere indubitatã, neq; vnquã posse negatiuã pati. Hæc est meo iudicio, via regia in negotio iustificationis, in qua si quis recto itinere, neq; in dextrã neq; in sinistrã declinãs, scopusque, in quẽ, si vtroque oculo nõ susque, deque, sed recta in scopũ collimarit, nõ aberrabit, sed verã, et germanã, iustificationis naturã, ac proprietatẽ, minimo etiã negocio, facile deprehẽderit. Hoc est si quis ita secũ persuasũ habuerit. Sola dei gratia, et benignitate, nos iustificari, per christũ, qui in humana quã assũpsit natura, legi, et iudicio, satisfecit oro peccatoribus iustificãdis, et seruãdis. et sic christi obedientia ad mortẽ iustificatos esse tãquã medio per quod deꝰ hãc iustitiã, et salutẽ operatur, sine iusti sui iudicij, et æquitatis in iudicãdo iniuria. De-

Deinde fide iustificari nos, tanquam indubitato sancti spiritus testimonio, quo persuasum est nobis in gratiam nos rediisse cum deo, et iustificatos esse nos, ex misericordia dei, per et propter Christum. Ac denum operibus vere bonis, tanquam claro testimonio, quo testificamur & declaramus mundo, hanc nostri iustificationem per Christi obedientiam, & eius rei internum nos habere a deo testimoniũ, nempe fidem. Deus itaque iustificator est: Christus inquantum homo, iustificationis medium, & via: fides, & opera, vt iustificationis acceptæ testimonia: illa cordi ac menti, hæc hominibus & mundo: hunc ordinẽ qui inuerterit, & posteriora prioribus prætulerit, & econuerso: quæ primo loco essent statuenda, in postremo locauerit: is in iustificationis negotio declarãdo, fide ne an operibus, seu coniunctim, seu diuisim homo iustificetur, nihilo plus efficiet, quâm si araturus, aratrum bobus (quod dici solet) præponeret. Ecclesiastes vero seu doctor qui operũ iustificationem vrserit, non iacto prius fundamento de iustitia dei, & Christi, & de interno eius rei testimonio, nempe fide: perinde faciet ac si sublata in altum radice, plantaturus arborem, ramos in terram defigat: aut illustraturus in domo latentia, fenestras non bene apertas, prorsus occludat: tantum

videlicet

videlicet de iustificationis veritate, ex huiusmodi prædicatione cognitionis habebitur: quantum ex iustiusmodi arbore euersa fructus, vel ex clausa illa fenestra, lucis sperari potest.

Iam quo res ipsa reddatur illustrior, superest, vt singulos hosce gradus, pro ingenioli nostri mensura, & modo, quem partitus est nobis dominus, aliquanto latius explicemus.

## Prima iustificationis pars, seu gradus: (a digniori & præcipua visum est inchoare) Sola dei benignitate, gratia, & misericordia, iustificatur quicunque iustus est.

DOminus deus, cœli, terræq; visibiliū, & inuisibilium, creator, moderator, et rector A quo fluit, & datur omne bonum: qui in seipso est, & habet omnia: non alienis indigens: sicut potentiam ac maiestatem in creando, ac prouidentiam, sapientiamq; suam, in moderandis, & regendis, quæ creata sunt, placuit manifestare (Inuisibilia eius inquit Paulus. Rom. 1. per creationem mundi conspiciuntur: sempiterna quoq; virtus eius, et diuinitas.) Itz dum in laudem gloriæ gratiæ suæ misericordiam (quæ superat vt ait psal. omnia opera eius) placuit exhibere: hominem condi-

Rom. 1.

dit ad

dit ad ymaginem suam, & effigiem, in iustitia, sanctitate, et veritate sicut deus ipse iustus sanctus & verax est, suoque illum arbitrio permisit, ostensurus in seculis omnibus, omni creaturæ, quàm parum valeat, fortissima, perfectissima quæque res creata, sine domino, quàm nō potis sit stare, nisi tenente, quàm impotens resurgere, nisi supponente, manum domino: vt innotescat omni creaturæ intellectuali, cui debent omnes, qui sunt, id quod sunt, ne vlli ea gloria adscribatur, nisi vni domino, in quem et ad quem, referendus est omnis honos. Quando ymago dei, homo, tot munitissimis fulcris erectus, nō stetit liber, quomodo collapsus potest resurgere, aut stare, peccati seruus & miser, nisi erigente & supponente manum domino, apud quem non est impossibile omne verbum? qui facit quæcunque vult. In optimo creatus loco ad ymaginem inquam, et similitudinem dei, primus parens de sublimi gloriæ, & dignitatis, in quo locatus erat, gradu, suis confisus viribus, potenti manu dei inniti nolens, in profundum malorum, et erumnarū decidit: et a summo bono deficiens, diabolo se, iniquitatis authori, et mēdatiorum patri, in clientelam dedit: ac ipsius tyrannidi, veluti dato chyrographo, se & posteros, ex rebelli rebelles prognatos, obstrinxit, sub illius imperio du-

duro, miserrimam seruituros seruitutem, omni salu
tis & vitæ spe ad quam fuerant creati, penitus de-
stituto s. At dominus deus ineffabilis misericor-
diæ pater: atque omnis consolationis deus benigniss-
simus, vt effusissimas, & inexhaustas, benignita-
tis suæ diuitias ostenderet, in laudem gloriæ gratiæ
suæ: lapsum decreuit hominem restituere: rebellem
recipere in gratiã: inimicum sibi conciliare. Et quia
non decuit eum, qui iuxta iustus est, ac misericors,
tam pernitiosam noxam inultam relinquere, vt id-
ipsũ itaq; efficeret, sine vlla iustitiæ, et iudicij sui in Rom. 8
iuria, vnigenitum filium misit in mundum: in simili
tudinẽ carnis peccati, vt per eum qui per omnia no-
bis erat similis peccato tantũ excepto, in carne eius
peccatũ damnaret, vt nos ex impijs iustos efficeret
per ipsum. Sic deus dilexit mundũ, vt filium vnige- Ioh. 3.
nitum daret. Hãc dilectionis immeusitatẽ, quũ vel
let propheta exprimere, dilectionis, & charitatis
vocabulis nõ content us aiebat, et misericordia eius
supra omnia opera eius. Euincitur itaq;, sola dei
gratia, misericordia, et inexhausta bonitate, iusti-
ficatum iri hominem, secundum propositum, &
consilium voluntatis suæ vsque quaque optimæ, vs-
quequaque sanctissimæ. Si creare ex nihilo solius
dei est: multo magis iustificare peccatorẽ solius dei
est: plus est iustificare, quã cœlũ at terrã millies con
dere. In

In creatione ipse dixit, & facta sunt omnia: at in restitutione hominis lapsi in iustificatione: hoc opus, hic labor erat: oportebat vnigenitum filium dare. Ideoq; verbum quod erat in principio apud deum, & deus ipse, qui fecit, & per quem facta sunt omnia, factum est caro, deus & homo, vna persona, vnus Christus: vt hoc opus fieret, oportebat pati & mori dei filium: est enim opus hoc supra omnia opera dei. Non propter vos ego faciam dicit dominus, sed propter nomen meū, notum sit vobis. Propter verbum suum secundum cor suum fecit omnia magnalia hæc. Qui operatur omnia consilio volūtatis suæ: perditio tua ex te Israel, salus tantum ex me est dicit dominus. Tibi domino deo nostro iustitia, nobis autem confusio. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine inquit Iob, nonne tu qui solus es? Iustus est ipse, et iustificans eum qui est ex fide Iesu Christi. Qui iustificat, deus. Ego sum dominus, non est saluator præter me. Ego sum ego sum ipse: qui deleo iniquitates tuas propter me dicit dominus, & peccatorum tuorum non recordabor. Reduc in memoriam, iudicemur simul, & narra si quid habes, vt iustificeris. ego sum; ego sum, ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me. Non est absque me saluator: gloriam meam alteri non dabo. Quemadmodū

Luc. 24.
Ezec. 36.
2. Reg. 7.
Ephesi. 1.
Oze. 13.
Danie. ix.
Baruc. 2.
Iob.
Roma. 3.
Roma. 8.
Esay. 43.
Esay. 42.

excitauit

excitauit Pharaonem, vt ostenderet in ipso potentiam suam, ac vt enarretur ipsius nomen in vniuersa terra. Ita quos elegit deus ante iacta fundamenta terræ eosdem, inquit Paulus, secundum propositum voluntatis suæ ex prædiuite sua misericordia prædestinauit in adoptionem filiorum, vt laudetur gloria gratiæ suæ. Efficiens itaque causſa, fons, origo, author, et perfectio, iustificationis nostræ est ineffabilis dei benignitas, & immensa bonitas, iustificatio, & iustificator nostri, est ipse deus. Et hæc de primo iustificationis gradu. Exod ix. et. xiiii. Ephe. 1.

## Secundus in iustificatione gradus.

CHristus Iesus, dei, et virginis filius, medium illud est, per quod deus, hanc nostri iustificationem, sine iustitiæ, aut æquitatis in iudicando iniuria, ex prædiuite suæ misericordia operatur: adeoque iustificatio, & iustificator nostri est, quia deus: et per semetipsum iustificans, quia homo: itaque iustitiæ nostræ summa, est Christus. Primus ille parens noster, a conditore deo ad illum iniquitatis authorem deficiens, spreto et contempto summo bono, venenū, & corruptelā, quam ex serpente contraxerat, iusto permittente deo,

deo, in nepotes omnes ex se prognãdos traiecit: quod factum est, vt ex rebelli rabelles, filij iræ, ac mortis nasceremur, atque omnis tum gratiæ, tum iustitiæ, expertes, et vacui, ad peccatũ, vt eramus nati, semper propensi. Deus itaq; qui similiter iustus est, atq; bonus, exigente iustitia noluit tantũ malum impunitũ relinquere: itaq; vt sũme bonus est, quẽ offendimus, ita ex iustitia dirum suppliciũ tanta impietate dignum statuit: mortẽ scilicet tum ànimæ, tum etiã corporis, æternã, inuidia diaboli, in orbem terrarũ introductã, quæ ad vnũ omnes Adami exules filios, teneret obnoxios. Vi sũque est tũ iustitiæ, tũ misericordiæ ipsius, qui summũ illud bonum est, ideoque ipsa iustitia, ipsaque misericordia, vnius hominis obedientia, multorũ inobedientiã compensari, et per vnius iusti, et innocentis suppliciũ & mortem temporariam, multorũ iniustorum debitum supplicium et mortem æternã condonari. Et quẽadmoaũ per hominẽ qui caro est, et sanguis, contẽptus est: hominisque peccato prouocatus ad iram, ita per vnũ hominẽ innoxium debere placari, innoxiique hominis, et ab omni peccato prorsus immunis, cruce, & sacri purique sanguinis effusione, prouocari debeat, ad misericordiã. Vt quẽadmodum ex vnius delicto mors regnauit per vnum: ita et multo magis, per vnius obedientiam,

entiam, vita regnaret per vnum: & sicut vnius delictum pertransiit in omnes homines in condemnationem, ita et vnius iustitia transiret, in omnes homines in iustificationem: & quemadmodū per inobedientiam vnius, peccatores cōstituti sunt multi: ita et per vnius obedientiam iusti constituerentur multi. Cūque nullus filiorum Adæ (vt qui ad vnum omnes perditi, et maledictioni obnoxii,) hanc iustam dei iram auertere, placare iudicem, hostiamque dignam (que suppliciū inobedientiæ debitam tolleret) offerre, iustōque patris dei iuditio potuit satisfacere. Ad ostēdendū diuitias bonitatis suæ, (quod iudicij æquitas exigebat, per hominē placatū iri, qui per hominem ad irā fuit prouocatus) placuit vnam personā fieri, vtriusque naturæ participē, diuinæ & humanæ, quæ idoneū ageret intercessorem, inter dissidētes, alteram ab altera, vt vtranque reconciliaret alteri. Placuit oportere filium vnigenitum, coæternum sibi, & coequalem, suscipere pro redimendo homine, non angelicā naturam, sed ex Abrahæ semine, secundum promissionem, humanam: formam induere hominis, opera spiritus sancti, ex virgineæ carnis substantia, hominem nasci: qui natus homo, maneret idem, qui fuit, deus: non amittens id quod erat, sed ad id quod erat, assumens, id quod nō erat, humanam Roma. 5.

humanam ſcilicet naturam, nobis per omnia ſimilem, peccato tantum excepto: manensq; Deus, fieret homo: qui factus homo legis ſe ſubmitteret imperio: qui legis lator, et dominus, legi pro ſe debebat nihil, accuſationẽ, legisq; minas, in ſe ſuſciperet, vt quod a nobis iure potuit lex exigere, illud ipſe perſolueret, pro debitoribus, ipſe pro ſe, legi debẽs nihil. ne quid imperij in electos, ad condemnationem, amplius haberet lex. Nec legis tantum minis, ſed & cruci etiã fieret obnoxius, in ea debitas nobis luens pœnas, vt chyrographum quod erat nobis contrarium, ſecum affixum cruci expungeret, & deleret: debitũ, quod morti nos tenebat obnoxios, perſoluens in corpore ſuo ſuper lignum, vt nos eo liberaret. Neque probrum tantum & maledictũ crucis fieri, ſed & ipſã etiam crucis mortem ſubiret: vt in ſuo corpore, ſupplicia nobis debita & mortem luens, iuſticiæ, iudicijq; Dei patris, & ſui, iuſto rigori, & æquitati ſatisfaceret, vt amplius non haberet iuſtitiæ gladius in electis, in quod animaduerteret, inſontis ſanguine mades. Si peccantem, pro quo inſontem, iam percuſſit velit cædere, inſontem fruſtra cæcidit. At illius non eſt, qui iuſtititiæ gladius dicitur, inſontem fruſtra percutere. Inſontem percuſſit equidem, & non pepercit, filius qui eſt iudicis vnigenitus Dei:

idq;

idq; non propter ipsius iniquitates, (peccatum ipse non fecit, nec est inuentus dolus in ore eius,) sed propter illorum peccata, quos in suam suscepit fidē, & clientelam: propter aliena peccata, innoxium percussit, quia percuti fontes, ex misericordia ipse noluit: ac potius quàm cœderentur, induere voluit ipse, formam serui, & in similitudine carnis peccati, se percutiendum voluit offerre, ictus telaq;, in nos vibranda in se suscipere, vt supplicium supplicio, & mortem morte, suppliciū, inquàm, & mortem, ingratissimis seruis, & rebellibus, debitam ex iudicio æternam, innoxij filij supplicio, & morte temporaria, pater compensaret. Vt enim peccantis creaturæ, indignitas, ingratitudo, rebellio, ad offensi creatoris amplitudinem, & maiestatem collata, æternum ex iudicij æquitate supplicium merebatur: Ita dei filij, pro fidelium peccatis satisfacientis, immēsa, & infinita dignitas, digna certe fuit, quæ peccatum damnaret, ac tolleret, & morte sua temporaria, æternam mortem, ex iudicij æquitate debitam peccatoribus, peccati pœnitentibus, & in filium Dei credentibus, absorberet, & cum vita cōmutaret sempiterna: hoc modo apud patrē pro nobis intercedens, paterni iudicij iusto rigori satisfaceret, & patrem morte placaret sua: qui & exau-

dit⁹

litus est pro sua reuerentia. Cum itaq; peccator iustificatur ex misericordia, et in iudicio, iudicante domino, iusti mercedem accipit, inter iustos cõputatus, de iustitiæ in iudicando æquitate, ac iusto etiam rigore, nihil detrahitur: quoniam quod iudicij iusto rigori debebatur, id abunde filius dei depẽdit pro nobis, in ligno crucis. Æquũ est ut nô pro debitore, sed pro iusto, et omni eo, quod iudicio tenebat obnoxiũ, liberato habeatur, pro quo dei filius debitũ persoluit, et cũ legi, tum iudicio, ad nouissimum vsq; quadrantem tam abunde satisfecit: (ui soli debetur, omnis iusticiæ et iustificationis nostræ, laus, honor, et gloria: quæ non potest ipsi, sine magna iniuria detrahi. Quisquis ipsi, vel micã, iustitiæ et iustificationis nostræ, ademerit, et rei alteri cuicunq;, siue in coelis sit eã, siue in terris, (vocetur, quo lubet nomine) tribuerit, Christum vult frustra natum hominem, frustraque mortuum: ideoque sacrum testamenti noui sanguinem conculcat, et filium dei insigni afficit cõtumelia. Blasphemum dixeris eum, rebellem, et lesæ maiestatis diuinæ reum qui creationem cæli, & terræ sibi, aut vllæ creaturæ audeat adscribere, quòd solius dei opus sit. At opus maius est, impium iustificare hominẽ, quàm cœlũ & terrã et quæ in eis sunt, vel millies creare. Hic dixit tantum, et facta

sunt

sunt: Ibi, dixisse satis non erat: quoniã iuxta decretum bonæ voluntatis suæ ante iacta fundamenta terræ proposuit & prædefiniuit per sanguinem eius sibi omnia reconciliare: priusquam hoc opus perficeretur, quó sine iustitiæ & æquitatis in iudicãdo iniuria fieret, oportebat Christum Dei filium, incarnari, pati, & mori. Si quod minus est, hominem sibi, vel creaturæ tribuere, blasphemia est, rebellio est? quanto maior est blasphemia, quãto maior rebellio, quantoq; magis lesæ maiestatis diuinæ reus censeri debeat is, qui sibi, vel creaturæ audeat tribuere opus illud, quod superat omnia alia dei opera? (misericordia eius, supra omnia opera eius inquit propheta.) Non potest itaque, vel mica iustitiæ, & iustificationis nostræ, Christo, citra cõtumeliam detrahi. Quantulumcunq; eius, alteri tribuitur, tantumdem de Dei, patris, & filij, et spiritus sancti gloria decerpitur. Christus itaque via est & medium, per quod sine vlla iustitiæ suæ, aut æquitatis in iudicando iniuria, ipse cũ patre & sancto spiritu, hanc nostri ex misericordia iustificationẽ operatur. Ideo iure, vere q; dicendus, fideliũ suorum, redẽptor, sanctificator et iustificator. In scientia seu in cognitione sui id est fide, (qua sola hic dum in via sumus deus agnoscitur) iustificauit ipse seruos suos multos Quoniã factus est nobis a Deo, iusticia, sãctificatio, & redemptio.

Eph. 1.

Esay. 63.

1. Cori. 3.

Nec

Actū. 4. Nec est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo nos oportebit saluos fieri. Nam quod impossibile erat legi, ea parte qua infirmabatur per carnem, homini carnali per legem, deus mittens filium suum
Rom 8 vnigenitum, in similitudinem carnis peccati, de peccato (per filium, hostiam pro peccatis oblatā) damnauit peccatū in carne, vt essem⁹ iustitia dei in ipso
2. Cor. 5. Eum, qui peccatum non nouit, per nobis peccatum fecit (hostiam, per peccato) vt essemus iustitia dei
1. Cori. 1. in ipso. Ipse a Deo factus est nobis iustificatio, sanctificatio & redemptio. Per ipsum annūciatur nobis remissio peccatorum, ab omnibus, a quibus non
Acte. 13. potuimus per legem Mosi iustificari: in hunc omnis qui credit iustificatur: quoniam eum proposuit
Roma. 3. deus reconciliatorem. Qui est propitiatio pro pecca-
1. Ioan. 2. tis nostris, & totius mundi. Ipse est pax nostra, om-
Ephes. 2. nes perimens inimicitias, reconciliāns per sanguinē crucis suæ, siue quæ in cœlis sunt, siue quæ in terra. Ipse est lux vera illuminans omnem hominem. In ip-
Galat. 3. so benedicūtur omnes gentes. Ipse est ille agnus dei,
Ioan. 1. qui tollit peccata mūdi. Qui vna semel oblata sui cor-
Hebr. ix. & x. poris hostia, peccata multorum sustulit et perfectos
Collo. 2. effecit in æternum eos, qui sanctificantur. In ipso sūt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. In ipso sumus repleti. In ipso omnis inhabitat plenitu-

do di-

do diuinitatis corporaliter: de cuius plenitudine nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Quemadmodum ex vnius delicto mors regnauit per vnum, ita & multo magis ex vnius obedientia, vita regnauit per vnum. Et quemadmodum per inobediẽtiam vnius, peccatores constituti sunt multi, ita et per vnius obedientiã, iusti facti sunt multi. Christus itaque dei, & virginis filius, via illa est, ac mediũ, per quod idem ipse dei filius, deus de deo, ab æterno genitus, cum patre, et sancto spiritu, sua benignitate, misericordia, et gratia, impium iustificat: Cunque idem ipse deus sit & homo, ideoque hanc nobis iustificationem, et promeruit homo, et dedit deus, omnibus modis, numerisque iustificatio, iustitia, & iustificator nostri, iure, proprie, et vere appellatur. Principium, medium, et finis: ac iustitiæ, et iustificationis nostræ, perfectio, consummatio et summa est Christus. Iustificatio nostri, precipua est et peculiaris gloria, quam suo sanguine sibi est mercatus: eã non dabit alteri. Nec potest a quoquàm alteri, sine magna numinis ipsius, iniuria, & contumelia dari. Et hæc de secundo iustificationis gradu. Ioan. 1. Roma. 6.

Gradus in iustificatione tertius. Sola fide (fidem intelligo non mortuam, sed viuam) iustificatur homo.

SOla dicitur fides iustificare, & recte, sed suo loco et gradu: tanquã spiritus dei testimonium, de dei beneuolentia erga nos et fauore: et veluti acceptæ de benigna manu dei, remissionis peccatorũ, et iustitiæ signaculũ: mẽtibus nostris et cordibus reuelatũ, et obsignatũ: quo testatur spiritꝰ dei sãctꝰ, nos esse eos, quos pater recepit ĩ gratiã, et cõdonatis ex misericordia peccatis, fecit ex rebellibus ciues, ex maledictioni et morti obnoxijs, adoptiue filios, et regni cohæredes, per et propter filiũ. Est inquàm testimonium spiritus dei, quo persuadet, & persuadendo certiores nos reddit, et confirmat, de promissa dei erga nos beneuolẽtia, ac de remissione, iustitia, et salute, gratis impertita, propter Christũ. Et quia spiritꝰ veritatis est qui testimoniũ perhibet testimoniũ eiꝰ verũ esse, nèce sse est. Dixerit aliquis quid ergo? iustificationẽ fidei haud tribuendam censes? quã Paulus, quã Christus ipse, quã scriptura sacra passim, illi solet tribuere? Tribuo certe: sed quomodo Paulus, quomodo Christus, quomodo scriptura sacra eã solet tribuere, non vt iustificatrici seu iustitiæ authori, datori ve (solius dei hæc est gloria eã neq; fidei, neq; operibus, neq; creaturæ vlli, quæ nominari potest, siue in cœlo sit ea, siue in terra, vnquam dabit.) Sed eam fidei tribuo, vt dei ex misericordia

per

per Christi obedientiã, iustificantis, testimonio. Fides inquit Paulus, donũ Dei est. Aliud donũ: alius donãs. Quãdo terreni regis dono, sigillo, seu testimonio de accepta ex illius manu possessione gloriã tribuero, & non benignitati regis beneficiũ cõferẽtis: tum demũ fortasse tribuã, iustitiæ, & iustificationis meæ gloriã fidei. Insanũ dixeris eum, qui fundũ donatũ, aut cartam, seu impressam ceræ, donantis imaginẽ, pro datore, veneraretur: at non plus sapit, qui tanquã iustificatori, iustitiæ laudẽ tribuit fidei. Caueto itaq;, caue inquàm, ne donãtis loco donũ, ne in iustificatione, Dei & Christi loco, fidem substituas, alioqui ex fide idolũ facies: tãtũq; aberit vt fides sit, quã fidẽ esse prædicas, vt sit infidelitas, perfidia, impietas: Da quod dei est, Deo: & quod fidei est, fidei. Da gloriã Deo tanquã iustificanti: Gratias age pro data fide, tanquã iustitiæ ex misericordia acceptæ, indubitato testimonio. Illud interim obseruari cupio, quód fides hæc nostra, quã sancti spiritus testimoniũ voco, licet charitatẽ habeat comitẽ sicut et spẽ, timorẽ filialẽ, & pœnitentiã: nulli tamẽ harũ virtutũ, neq; vlli rei, quæ vel fingi, vel cogitari potest, perinde competit hec dictio seu loquendi phrasis (spiritus testimonium) vt fidei quòd nitatur & incumbat promissioni, quòd certa sit de promissa erga nos beneuolentia Dei persuasio, Ephes. 2.

per ſpiritum ſanctum reuelata, et cordibus obſignata: ideoq; ſola illa, (et ſi cæteras virtutes comites habeat) hoc ſpiritus dei teſtimonium, recte, vereq; appellatur, quòd eo perſuadet teſtimonio, et perſuadendo certificat ſpiritus dei, promiſſa remiſſionis, gratiæ, iuſtitiæ, & ſalutis beneficia, ad eum pertinere, qui hoc dono dei, donatus, et ſpiritus vnctione vnctus eſt. Fides, et ſi reliquas virtutes, comites habeat indiuiduas et ſocias, ipſa tamen, et ſi non tempore forſan, quod interuallis diſtingui facile poteſt, et diſcerni, natura tamen & ordine, principiũ, fons origo, & prima cenſetur: quòd reliquæ ex ea, tanquam ex fonte promanent, & tanquam pediſſequæ eam conſequantur: niſi prius perſuaſum erit nobis de diuino erga nos fauore et beneuolentia per fidẽ, nec amari, nec timeri, reuerentia filiali, neque in eum ſperari, neq; recte quidquam a nobis vel geri, vel cogitari poteſt. (Quòd ſine fide impoſsibile ſit placere deo) Præcipua itaque virtus eſt, & prima, fides: tametſi charitas in ſcripturis reliquarũ maxima appelletur, quod latius pateat, ramis ſuis, id eſt officijs, et beneficijs, operiens proximos: quòdq; fide, & ſpe, reliquiſque emorientibus, et euaneſcẽtibus in via, æternũ maneat ipſa charitas in patria.

i. Cor. 13.

Illud vero, neque mirum cuiquam, neque nouum videri

videri debet, quòd fidem, sancti spiritus testimoniũ appellem, cum in scripturis sinbinde, spiritus sancti testimonium, vnctio, sigillum, signaculum & arrabo soleat appellari. Fides inquit Paulus donum dei est, et arrabo hæreditatis nostræ, pignus, & charecter, quo sumus obsignati. De hoc sancti spiritus testimonio loquitur dominus. Cum venerit paracletus, inquit, quem ego mitto vobis a patre meo, spiritum veritatis, qui a patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Et in. c. 16. Cum venerit spiritus ille paracletus docebit vos omnem veritatem. Neque doceri quisquam potest, neque quod docetur, seu testimonium accipere, nisi fidei dono donatus sit: testimonium itaque, & suggestio hæc, fides est: quam in cordibus eorum qui credunt operatur, & dat spiritus dei. Hoc illud testimoniũ est. Hic ille fidei spiritus, quem se effusurum promittit dominus super omnem carnem. Nos nescimus, inquit Paulus, orare, sicut oportet sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, & quomodo inuocabũt, in quẽ non credunt? postulare dicitur spiritus sãctus, quum postulare facit eos, quibus fidem ad postulandum, et expectandum, quod petũt, donat. Accepimus, inquit Paulus, spiritum adoptionis, in quo clamamus abba, pater: Hoc est sancti spiritus testimonium accepimus,

Ephes. 1. et. 2.

Ioan. 15.

Ioan. 16.

Iohal. 2.

Actc. 2.

Roma. 8.

Gala. 4.

mus, quo testificante persuasum habemus, patrem nobis esse propitium, propter filiū. Ipse spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quòd sumus filij dei. Cuius quidē testimonium, quid aliud est, quàm hæc sperandarum rerum substantia? hæc de bona dei, erga nos voluntate sancta persuasio. Et promissæ misericordiæ ipsius indubitata fidutia? Ad Hebræos dū
Heb.. xi. scribit Paulus, electos dei enumerans, testimonio fidei probatos dicit. Et testamentum illud de quo, Hi
Hier. 31. erimias, et item Paulus, quo testatur dominus, se da
Hebr. viii turum legem suam, in visceribus nostris, et in cordibus nostris eam scripturū, vt sciamus eum nobis esse deum, & nos ipsi in populum peculiarem, quid aliud est, quam hoc multo prætiosissimum fidei donum? quam hoc spiritus sancti testimonium, quo testatur
Gala. 4. nos esse filios dei? Et quoniā sumus filij, inquit Paulus, immisit deus spiritum filij sui, in corda nostra clamantem abba, pater. Hic clamor spiritus quid aliud est, quam sancti spiritus persuasio, de benignitate dei erga nos de iustificatione nostri, & pec-
Ephes. i. catorum remissione? Quid aliud quam fides? quæ
Ioan. xv. nunc hæreditatis arrabo, nūc iustificationis nostræ
x. xvi. symbolum, nota, charecter, ob signatio, nunc spiri-
Gala. 4. tus suggestio & eruditio: nunc clamor spiritus,
2. Cori. i. nunc spiritus vnctio: nunc spiritus sancti de recon-
i. Ioan. 2. ciliatione

ciliatione & iustificatione nostri, indubitatum te- Rom. viii
stimonium. Tribuitur itaque iustificatio fidei, tanquam diuini spiritus, de iustificatione nostri, ex dei misericordia propter Christum, nos reddentis certiores, testimonio, tanquam remissionis & iustificationis nostræ, infallibili sigillo. Sigillò ne tribuemus, quod donantis vltro, & gratis, domini benignitati acceptum debemus referre? absit. Tribuimus equidem, suo loco & gradu, non vt iustificanti, sed vt iustificantis dei sigillo, quo confirmamur, & testimonio. Relinquitur ergo, sola dei gratia, misericordia, & gratuita benignitate, iustificari nos, per & propter Christum, qui iustitiæ, & iustificationis nostræ, principium, medium, finis est, & summa: Et iustificationis huius nostræ certos nos esse per fidem: quæ quód de iustificatione nostri reddat nos certiores, nos iustificare dicitur. Huc referas quæcunque in scripturis iustificationem fidei tribuere videntur: et res, quæ multos impediuit, erit expedita. Iustificat itaque fides sola tanquam dei spiritus de iustificatione nostri testimonium: cum sola dei misericordia, solus Christus, nostra sit iustificatio, salus et vita. Hæc de tertio gradu iustificationis per solam fidem.

Gradus

## Gradus in iustificatione quartus.

Opera bona, iustificare hominem dicũtur, sed suo loco, & gradu. Opera bona, et iustificantia intelligo, cuiusmodi sunt, quæ ab ipso deo, in decalogo, seruanda præscribũtur. Opera inquàm, gratiæ opera, quæ vocantur, & fidei, quæ, a iustificato, & fideli fiunt: Licet reluctante concupiscentia, & carne, victore tamen et dominante spiritu, non metu legis, aut formidine pœnæ, sed amore iustitiæ propter deum fiunt. Sunt & quæ opera legis appellantur, quæ metu legis, et supplicij, ab animo inuito, et reluctante, timore seruili, non amore filiali fiunt. Sunt & quæ vocantur opera pacis, quæ extincta prorsus omni concupiscentia, plena & perfecta libertate, sine vlla inter spiritum et carnem lucta, sine vlla resistentia fiunt: quæ opera, non in hac vita, sed in futura erũt: vbi in patria, plena sumus beatitudine fruituri quando deum videbimus facie ad faciem, & cognoscemus eum sicut ab eo sumus cogniti. Ex aduerso sunt, quæ peccati opera nominantur, quæ laxis concupiscentiæ frenis, sine vllo iudicij, et supplicij metu, sine vllo iustitiæ respectu, sine vlla in deum fide, amore, reuerentia,

1. Ioan. 3.
1. Cor. 3.

a desp-

a desperante & abdurato, velut indicto diuino numini bello, sine vlla spiritus rẽsistentia: sed carne et concupiscentia, victrice & dominante fiunt. De ijs, quæ legis, peccati, & pacis opera vocantur, hic non loquimur: Sicut nec de operibus illis & cerimoniis, opera quæ vocari possunt superstitionis & hypocri seos, quæ a pontificys (quos vocant) & ab humano duntaxat cerebro citra præscriptum diuinæ legis, iustificationis ergo, excogitata, traduntur obseruãda: quorum obseruatione, dum se iustificatos iri volunt, Christo seruatore, opus sibi nõ esse, & sic christum frustra mortuum, fateãtur necesse est. Si frustra mortuus; frustra etiam natus, frustra homo factus: quid istuc quæso est, si non hæc contumelia est? Verum enimuero, si non alia, quàm istac, iustitiæ (quam vocant) protectione fuerint muniti, si iustitiam Christi per fidem, non fuerint induti (mille licet, missarum (quas vocant) propiciatoriarum, myriades, & cucullorum, ac indulgentiarum, plumbo ceraq; munitarum totidẽ plaustra secũ attulerint,) vbi ventum erit ad tribunal dei, non magis illis proderunt hæ iustitiæ vmbræ, & impietatis suæ, hæc a scitia tegumenta, quibus suã impudentiã, & impietatem conantur occulere, quàm Adamo profuerunt arboris illius in medio paradisi vmbra, & ad

nuditatem ipsius obtegẽdam, perizomata, folia illa ficulnea, vbi audita vox est intonãtis dei: Adam vbi es? At sicut illa, quibus obtectus erat ficulnea folia, audita voce dei, subito conciderunt, et miser prodijt in medium confusus: Ita et hæc, quæ ad impietatem suam obtigendam, ascititia excogitarunt tegumenta, & vana subterfugia, vbi audita fuerit vox ad tribunal vocantis dei, fili Adami, vbi es? dicto citius concident, & tanquàm puluis a facie venti, dispellentur, & euanescent, miserique prodibunt in medium: & male operta nuditas & impietas, in cõspectu dei aperietur: palamque patebit & angelis & hominibus, in magnam ipsorum tum ignominiam, tum cõfusionem: propterea, quòd ijs tribuebãt gloriam quæ debetur Christo: & in ijs omnem suam spem & fiduciam collocabant, non credentes in nomen vnigeniti filij dei. Hec opera, tametsi non æqualia tantũ ijs, quæ in diuina lege nobis sunt præscripta, sed & superiora, et magis (vt ipsi vocant) meritoria esse velint (id quod pœnæ, quas, in vtriusque, suæ scilicet, et diuinæ legis transgressores statuũt, et crudelis earundẽ satis docet executio) vtut præclara et splẽdentia videãtur, de iis tamen hic nõ loquimur: Multo minus de iis operibus, quæ religiosuli illi hypocritæ, cucullo, palliòq; tenꝰ semidei, opera vo

ra vocant supererogatoria: quasi, cũ iis, quæ in lege dei præscribuntur, abunde per illos, superq; factum sit satis (id quod nemo in carne degens ex virili semine natus et conceptus, suis per se viribus præstare vnquám potuit) insuper habeant, quod alijs ad iustitiam communicent, et pro arbitrio etiam venditent: in thronum dei cum Lucifero conscendentes, non modo vt similes videantur altissimo, sed vt deo etiam de sede deturbato sua, ipsi locum occupent: atque operis illius, quod est operum dei longe præstantissimum, opus intelligo iustificationis, integram sibi gloriam vendicent: cum Lucifero, (nisi ab impietate resipuerint) cũ quo conabantur ascendere, tandem aliquando in tartarum descensuri. Aduersus Pelagianos et ad Ctesiphontẽ scribens Hieronimus: quã nõ excedit blasphemiã; quæ hæriticorũ venena non superat inquit, hominẽ dicere se esse sine peccato si velit? Homuncionẽ vero, nõ modo se iustũ satis asserere (quòd legi dei per omnia abũde, superq; fecerit satis, et sic sine peccato esse) sed & iis quæ superarrogãti supererogatione, se addidisse gloriatur, alios etiã se iustificare posse, et sic nõ sui tantũ se, sed et aliorũ se iustificatorẽ affirmare: hoc venenũ omnium hæreticorum venena, superet necesse est. Quid quæso est, si non hæc blasphemia est?

Si non in Christi sanguinem & mortem contumelia est? Iis itaque impiis, impiorum, in impietate gloriantium, superarrogantibus supererogationis operibus, in deum & sacrum noui testamenti sanguinem blasphemis, & contumeliosis, in iustificatione locum non damus.

De ijs tantum operibus loquimur, vbi de iustificatione fit a nobis mentio, quæ a nonnullis, gratiæ & fidei opera appellantur (poterunt & legis opera vocari, quòd diuina lex ea præscribat facienda: at quia non lex, sed gratia, virtutem præstat operã di, gratiæ malunt ea, quàm legis nominare,) quæ in quám opera gratiæ, non ab inuito animo, seu dominante concupiscentia, sed victore spiritu, & gratia ab animo candido, et volente, amore iustitiæ, vltro propter deum fiunt. Ijs in iustificatione locum damus: at non nisi suo loco, & gradu: Alioqui, si vel dei vel Christi, vel fidei loco ea substituas, quámlibet in speciem arrideant, claraq, et bona videantur, impia sunt tamen, ac in deũ, et Christi sanguinem blasphema, et contumeliosa: Indigna quæ gratiæ & fidei opera nominentur. Si gratiæ essent, quod gratiæ debetur, gratiæ tribuerent: Nisi suo se contineant loco, non gratiæ opera sunt, sed peccati. Iustificant illa, quæ vocamus gratiæ & fidei opera, tanquam

quam fidei nostræ, & iustificationis externa declaratio. Quemadmodum fides, iustificationis nostræ, internum est in corde testimonium: quod perhibet spiritus sanctus spiritibus nostris iustificatos nos esse ex misericordia dei, per Christum: Ita charitatis opera ex fide proficiscẽtia, externũ eius rei similiter testimonium perhibent hominibus & mundo. Et quemadmodum opera lucis bona, iustificationis & fidei: Ita opera tenebrarum mala infidelitatis ac impietatis sunt argumenta. Dominus deus, iustus, & benignus, quem ex misericordia iustificat, eundem etiam sanctificat, et nouum reformat hominẽ, ad opera bona, sic, vt in omni cõuersatione sua sit sãctus, sicut & ipse sanctus est. Perinde non potest a iustificatione, sanctificatio separari, atq; non potest a iustificante deo sanctitas abesse. Neminem itaque iustificat, quem non simul & sanctificat: Iustificatus, & sanctificatus quisquis est, ymaginem iustificantis se dei, & sanctificantis exprimat necesse est. Non potest arbor bona, sancta & bona dum manet, fructus malos facere, fructus se dignos procreet oportet. Alioqui de fide glorietur, quantum volet, & de iustificatione sui, sesquipedalia etiam verba iactitet, tantum abest, vt sit iustus, vt in impietate maneat impius, sceleratus, & perfidus. Sicut

cut iustitia illa, quæ apud deum iustitia est, esse non potest vbi deest spiritus sancti testimonium, fides: Ita nec fidei, nec iustitiæ vllum est argumentũ, nisi adsit charitas, per opera bona sese exerens, & externum eius rei prebens testimonium mundo: quæ perinde fidem comitatur, atque lux solem, & calor ignem. Naturæ ordinem vult inuertere qui certam & indubitatam, de Dei erga se beneuolentia persuasionem, a dilectione & charitate sua indiuidua comite & socia conatur auellere: quia vbicũque datur occasio, si vera & viua fides sit, pijs se operibus exerat necesse est. Qui fieri potest, vt quis persuasum, atque animo immotum, fixumque habeat, Deum, cuius celsitudine, & splendore, obtenebrantur stellæ: ad cuius fortitudinem, & potentiæ robur, vniuersa concidunt: ad cuius nomen omne genu curuatur, cœlestium terrestrium, & inferorum: ad cuius puritatem sordent omnia. cuius ferendæ iustitiæ omnes omnium creaturarum vires in vnum collectæ haud sufficiunt: cuius bonitas & misericordia hæc superat omnia: vsqueadeo beneuolum & amantem sui esse, vt non modo inimicum, & rebellem, remissis peccatis, atque omni noxa condonata, (quæ dissidij causa fuit) in gra-

tiam

tiam receperit, in filium, & regni consortium: verum etiam, quò hæc fierent, sine iustitiæ & æquitatis in iudicando iniuria, quod habebat in summo pretio daret, filium innoxium eumq; vnigenitũ, ad mortem probrosissimam, mortem scelestissimis dignam latronibus, mortẽ vero crucis: qui fieri potest? quomodo inquàm potest fieri? vt hæc quisquàm sibi persuasa habere queat, & non redamet tam impense diligentem sui? Fides itaque qua iustificantur impii, vi nunt pii non est dicenda, nisi per charitatis opera sese exerat: quin imo, inanis est, & mortua, indigna, quæ vel vmbra fidei nominetur.

Verum tametsi in iustificato opera sunt necessaria, vbi tempus, & oblata fuerit ad fidem operibus declarandam occasio (quòd alioqui cum infidelibus, cum hypocritis, & contemptoribus, partem sit habiturus) etiam atque etiam cauendum erit, ne operibus fidens, iis tribuas, quod Christi est & Dei, iustificationis tui, laudem, & gloriam: Alioqui, quàmlibet splendentia, & pulchra videantur oculis hominum, nihil aliud sunt quàm hypocrisis apud Deum, & menstruatæ panno sordidiora. Non est quòd in operibus quisquam glorietur. Reuocet in iudicium Dominus quæ in operibus videntur esse optima, suam poterit in illis iustitiam agnoscere,

hominis

hominis tantum coufusionẽ, quòd ex parte hominis, imperfecta sint, & immunditiæ plena. Si placent,
i.Cori.i. propter Christum placent, qui factus est nobis a patre, iustificatio, & redemptio: propter quem, quod imperfectum est nostri, & immundum, non imputatur, sed purgatur, & cõdonatur: quòd ideo factus sit homo, in similitudine carnis peccati, vt de peccato, damnaret peccatum in carne sua, vt essemus iusti
Rom.viii tia Dei in ipso. Atque ideo si operibus nihil fidens, operibus deum studueris glorificare, in fidem te ipsius dans, & cliẽtelam, sola, solius eius benignitate fretus: & te, & opera tua premijs cumulabit amplissimis, & immarcessibili in cœlis, æternæ gloriæ corona: vsque adeo diues est in misericordia, vt gratiam tibi pro ijs, quæ suo spiritu in te, pro sua benignitate operatur, rependat, & gratiam, pro gratia. Vera etenim est illa Augustini, & digna vox episcopo, ab eo frequens vsurpata: dum coronat Deus hominum merita, nihil aliud, quàm sua coronat munera. Dum itaq; operibus hæc sua beneficia, & quam promisit, ex gratia mercedem rependit deus; caueto ne sacrilega ambitione, hæc tuorum operum meritis deberi, et rependi, tanquàm debita contendas: sed diuinæ omnia munificentiæ tribuito: qui ex mera sua benignitate, hoc illis pretium et mercedẽ statuit.

Nou

Non est itaque quòd in operum iustitia quisquám glorietur, quia non iustificabitur ex operibus, in cõ spectu eius omnis caro.

Quòd autem sancti, integritatis & innocentiæ suæ memoria videntur interdum exultare, & quo dammodo, velut ex ijs spem & fidutiam concipientes, sese confirmare: Illa ipsorum puritas conscientiæ, coram deo, non superbiendi illis, neq; aduersum alios insultandi, materiam prebet (sciunt se ita affectos esse debere, sicut & Christus, qui cum in forma dei esset, non rapinã arbitratus est esse se æqualem deo, alios præ sẽ contemnens, sed semet ipsum, sumpta serui forma, humiliauit, etiam pro inimicis, vsque ad mortem crucis: sciunt se habere nihil, quod ab impiissimis eos discernat, quod non gratis acceperunt ex benigna manu dei) ideòque nõ superbientes, et insultantes id faciunt: sed quòd ea opera fidem illorum dum exercent, integritatis illius recordatio (quam diuinæ erga se beneuolentiæ argumentum agnoscunt, quód donum dei sit) pijs & afflictis animis nonnihil consolationis adfert: quód deus in aduersitatibus eos & tribulationibus non sit relicturus, sed protector adfuturus, et causſam illorum ab hostium crudelitate vindicaturus. Et dum videntur inimicis exitium imprecari, id faciunt, nõ

Philip. 2.

1. Cor. 4.

vindictæ cupiditate, ob illatam illis iniuriã, sed pro vindicanda ecclesiæ libertate, & gloria Dei, cuius maiorem, quàm sui ipsorum, habẽt rationem. Intelligunt sancti, fidem esse donum dei: intelligunt itẽ, & charitatẽ, a deo, per spiritum sanctũ in corda fidelium diffundi: & eodẽ spiritu in electis eum omnia operari. Integritatis itaq; suæ, & innocẽtiæ recordatione, & cõmemoratione, tãquàm gratiæ & beneficiorũ dei, ac solitæ protectionis ipsius, argumentis, & testimonijs, concussos in aduersitatibus, & pene labefactatos recreant animos, virescq; in bello colligunt, et spẽ, qua in angustijs & tribulationibus, ne deficiant, sese muniunt, quò aduersus omniũ sibi aduersantiũ, insultationes, fortes, & cõfirmati valeant stare: intelligẽtes etiam, quã promisit deus ex misericordia coronam iustitiæ militantibus tandem aliquando eum redditurum, vt qui misericors est dominus, & iustus iudex.

Tantum itaque abest vt, ommem iustificationis nostræ laudem, soli solius dei misericordiæ & Christi obedientiæ tribuens, operibus bonis aliquid detraham, vt illis plane tribuam, quod a quoquàm iure debet tribui, aut potest. Tribuo, quæ illis tribuenda sunt: At non tribuo illis gloriam, quæ debetur vnigenito filio dei: iustificationẽ illis tribuo

sed suo loco. & gradu vt sint iustificationis et fidei, declaratio. Neq; vero nouũ aut rarum, id est, opera iustitiæ, facta, & bona, vocari fidei, & iustificationis, seu iustitiæ testimonia: sicut nouum nõ est, fidẽ, internum iustificationis ex benigna manu Dei acceptæ testimonium dici: quod spiritus Dei sanctus, menti perhibet & cordi. Opera quæ ego facio, dicit dominus, ipsa testimonium perhibent de me, quia pater mĩsit me. In hoc, inquit, cognoscet mundus, quòd discipuli mei sitis, si feceritis, quæ præcipio vobis. Quia si quis diligit me, sermones meos seruabit. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux: vt filij lucis ambulate: q. d. vestra conuersatio declarabit: filii ne tenebrarum, an lucis sitis: abstinete, inquit Petrus a carnalibus desideriis quæ militant aduersus animam, conuersationem vestram habentes inter gentes sanctam, vt videntes alii opera vestra bona glorificent Deum in die visitationis. Satagite (inquit Petrus) vt per opera vestra certam vocationem vestram & electionem faciatis, electionem et vocationẽ vestrã, operibus declarantes. Ex operibus cognoscetis eos dicit dominus. Bona arbor fructus bonos facit, et mala, similiter malos. Ex fructu arbor cognoscitur. Bonꝰ homo de bono thesauro cordis sui, profert bona, et malus ex malo similiter ma-

Ioan. 5.
Ioan. 13.
Ioan. 14.
Ephes. 5.
1. Pet. 2.
2. Pet. 1.
Math. 6.
Luc. 6.

Math 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus dicit dominus, vt videant opera vestra bona, et glorificent patrem, qui in cœlis est. Ex ijs liquet, sicut ex alijs plerisque scripturæ locis, opera bona, iustitiæ, & fidei nostræ testimonia vocari. Atque hoc modo debent intelligi, loci illi in scripturis passim occurrentes, qui videntur omnem iustitiæ laudem, operibus tribuere, vt sint iustificationis, nostri, & fidei argumenta tantum, & testimonia, quibus carere non potest, quisquis vere iustificatus, & fidelis est, modo tempus & oportunitas adfuerit, iustificato ex dei gratia, ad fidem & iustitiam suam, per eadem exerendam, & declarandam. Vera illa Augustini est, & digna vox episcopo: Opera bona sequuntur iustificatum, non præcedunt iustificandum. Ita debet intelligi, sicut mox dicemus, illud Iacobi, vbi ait, Abraham ex operibus iustificatum.

Iacob. 2.

Quod autem ait Paulus, non qui audiunt legem

Rom. 2. iusti sunt apud deum, sed qui legem factis exprimunt, magis probat ex operibus neminem iustificari, quàm secus. His verbis aliud non voluit Paulus, quàm confidentiam, & supercilium Iudæorum dejcere, ostentationem illorum & gloriationem, ridiculam et inanem docens, qui sola legis agnitione, et quam de illa habebant opinione, se pro iustis vendi-

tabant

tabant, cum essent interim illius transgressores. Cõ
trarium itaque argumentum, ex mente Pauli colli
gitur: perinde ac si dicat Paulus, iustitia legis in o-
perum perfectione sita est: Quis autem est qui ope-
ribus potest se iactare legi per omnia satisfeciſſe?
Dicente domino, Moyses dedit vobis legem et ne-
mo ex vobis facit legem, & seruos nos inutiles cum
fecerimus, omnia quâm possumus optime: quód om-
nes iustitiæ nostræ sint sicut pannus menstruatæ?
Ideo Paulus, ibidem: causis ante redditis, inquit, o-
stendimus omnes, tum Iudæos, tum Græcos peccato Esay. 64.
obnoxios: Quia omnes peccauerunt & egent gloria Roma. 3.
dei. Videtur ergo Paulus, iis verbis id probare po-
tius, quòd ex lege nulla sit iustitia: aliunde igitur
quærenda est, nempe beneficio, & misericordia dei
per Christum. Mens et sententia Pauli, hæc est: Tu
satis arbitraris, te auditorem legis esse, et de lege
gloriari: Non auditores legis iusti sunt, sed facto- Roma. 2.
res legis iustificabuntur. At vero, tantum abest, vt
vt legi quis satisfaciat operibus vt concludat scrip
tura, omnia sub peccato, omnes maledictioni & Gala. 3.
morti obnoxios, eo quòd non permanserint in om- Dent. 27.
nibus, quæ scripta sunt in libro legis, vt ea faciant.
Aliunde itaque quærenda est iustitia. Cristas ita-
que depone, supercilium deijce: et ex Christo per fi-

dem

Acte.13. dem iustitiã quære. In hunc omnis qui credit iustificatur: Ideòq; concludit Paulus, et ait: Iustificati sumus gratis, per gratiam ipsius. Clarum est itaque quòd stultam illam de lege opinionẽ, in operibus cõfidentiam: ac vanã illam de iustificatione per legẽ, ostentationem, reijciat, execretur, damnet: docens ex operibus legis nullã esse iustitiam, ideòq; solius dei misericordia per fidem in Christum eam exRoma. 3 & 5. pectandam. Illud autem quod de peccatrice ad Phariſæum ait dominus: Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum: probat clarissime vera esse, quæ Paulo ante de iustificatione per solã fidem enarrauimus. Non vult ibidem dominus, dilectionis exhibitionẽ, remissionis esse caussam: sed contra: remissionẽ esse caussam dilectionis: Id quodLuc.7. parabola manifeste docet. Creditor quidam duobus remisit debitoribus, alteri plus, alteri minus: Vter debitorũ, inquit dominus, remittentem magis diligit? Respondet Phariſæus, is cui plus remissum est. En vt remissio, dilectionis illam exhibitionem præcesserat? vtroq; teste, et Christo, et Phariſæo? Iam vult Phariſæum dominus, ex magnitudine dilectionis exhibitæ, de multorum peccatorum remissione facta mulieri, reddere certiorẽ. Non dicit mulieri: remissa sunt tibi peccata multa, quoniam dilexisti

multum

multum: Alio vult eam de remissione testimonio confirmari, testimonio sancti spiritus, nempe fide. Fides, inquit, tua, te saluam fecit: quæ, quòd in animo credentis hæreat, ac lateat, nec potest quisquàm, vt inquit Paulus, scire quid sit in homine, nisi spiritus hominis, qui in ipso est: Ad id quod externe apparet, Pharisæum ducit, ad dilectionis, per opera exhibitionem, quæ remissionis, & latentis in animo mulieris, fidei, externa erat declaratio: Quod ideo dicit: Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Perinde est, ac si dixisset: Percontanti mihi, vter debitorũ, creditorem debita remittentem, plus diligit? Is ne cui plus remissum est, an is cui minus? Respondisti: Is cui plus donatum est: & recte: Ex dilectionis itaque ipsius exhibitione, & magnitudine, scire potes multa illi esse remissa. Exhibitio huius magnæ erga me dilectionis, multorum remissionis ipsi a me factæ, declaratio est. Sicut internum credenti mulieri, testimonium erat fides: Ita Pharisæo, & ijs, qui foris sant (qui alioqui latentis fidei in animo proximi, sunt ignari) externum eius perhibent testimonium, dilectionis opera, ex fide prodeuntia: quæ sunt remissionis factæ mulieri, & fidei eius externa declaratio. 1. Cor. 2.

Superest

Supereſt vnus ille locus apud Iacobū, qui præter cæteros, iuſtificationem operum videtur maxime vrgere: Quem que ſubinde citare ſolent Pelagiani, impij noſtri hypocritæ, iuſtitiarii, contra mentem ipſius Apoſtoli, plenis, (quod dici ſolet) tibijs triumphum, ante victoriam canentes. Diuus Iacobus ait
Iacob. 2. ex operibus iuſtificari Abrahamum, offerentem filium ſuum Iſaac ſuper altare: & Rahab ex operibus iuſtificatam: & homines ſimiliter ex operibus iuſtificari. Verum. Arguit ibidem Iacobus, arguendo exprobrat, exprobrando, erroris & mendacij conuincit, & damnat, inanem vulgi opinionem de fide, & ſtultam quandam fidei oſtentationem, a fidei natura, & veritate alienam, quam per memeſim, ſeu imitationem (ſicuti et Paulus 1. Cor. 13.) fidem vocat, & ſi fidei appellatione indignam: atq; adeo vana illa fidei oſtentatione, et iactantia, non fidem eos, ſed infidelitatem ſuam prodere: Fidem oſtendens, non debere ocioſam eſſe & mortuam, ſed dilectione viuam, et efficacem declarari: quaſi dicat: quænam eſt hæc fidei veſtræ ſtulta oſtentatio? Nolite de fidei nomine inaniter gloriari. Qui vera ac viua fide ſunt præditi, qua iuſtificātur impij, viuunt pij, ij ſuam illam fidem, & iuſtitiam, obedientia, & bonis operibus, non ſtulta fidei, et iuſtificationis

cationis ostentatione, probent & declarent necesse
est: sicut Abraham, qui fidem suam, (quæ de iusti-
ficatione sui, indubitatum erat spiritus sancti testi-
monium) obedientia & operibus, viuam & efficacem ostendebat. Non vult itaq; Iacobus per immolationem filij, nunc primum iustificatum Abrahamum dicere, sed per eam iustificatum, mundo declarari. Ante natiuitatẽ Isaaci plus quatuor decim annis fidem habens Abraham verbo dei, iustificatus Gene. xv.
pronunciatur: & scriptura non potest solui. Octoginta sex annorum erat Abraham, quando peperit
ei Hagar Ismahelem, ante cuius natiuitatem fide Gen. xvi.
iustificatum scriptura dicit. Centum vero annorum Gen. xv.
erat, quando natus est ei Isaac ex vxore sua Sara.
Inter natiuitatem Ismahelis & Isaaci, interuenere
anni quatuor decim, ante quorum inicium iustifica-
tus dicitur Abraham. Et cum immolandus esset Isa Cene. xv.
ac, dicit scriptura, tulisse eum ligna holocausti, &
cum eis ascendisse in montem. Cum ex scriptura ipsa sacra iam constet, ante natum Isaac, iustificatum
fide Abrahamum: Et omnis scriptura inquit Paulus diuinitus inspirata est. Et Petrus, spiritu sancto inspirante, locuti sunt sancti dei homines, inquit,
cuius testimonium verum esse necesse est: quia deus
est verax, et ipsa veritas: clarum est, de fidei et iusti

ficationis ipsius declaratione locutum Apostolum. Iacobum ne, quem cũ cæteris Apostolis, spiritus dei sanctus, in igneis linguis veniens omnẽ, (sicut prædixerat futurum dominus) docuit veritatem: veritatis huius, vel immemor erat, vel ignarus? absit. Verum quorundã stultam, & impiam de fide & iustificatione, ostentationem non ferens Apostolus, quód dei & fidei essent irrisores, illi volebat argumento, quo suam maxime prætexebant impietatẽ obuiare. Abraham dicebant, sola dei misericordia per fidem iustificatum: et verum: Et quotquot iustificantur, eo modo iustificantur, quo Abraham: et id verum quoque. Hic nunc subinferebant? cum sola iustificet fides: frustra exiguntur opera. Hoc falsũ ait Apostolus: quoniam Abraham ex operibus etiam iustificatus est. Hoc est obedientia Abrahæ, & opera, iustificationem illam Abrahæ veram, et fidem efficacem ostendebant: sic & oportet eum, qui iustificatus est, fidem suam, operibus viuam, & efficacem declarare. Perinde ac si dicat. Abraham fidem suam operibus declarabat: Sic & tu si Abrahæ fidem habes, factis eam exprimito. Alioqui de fide glorieris, & de ea te vendites, quantum lubet, fidem eam, qua iustificantur impij, qua viuunt pij, non habes. Tantum abest, vt quæ ab Iacobo hic dicuntur

Act. 2.
Ioan. 14.

euntur, ijs quæ de iustificatione & fide narrantur a Paulo, aduersentur, vt idipsum alibi, & sentiat, & dicat Paulus, quod hic Iacobus. Ad Chorinthios scribens, inanem vulgi de fide opinionem, & ostentationem damnans, (quam tamen per memesim seu imitationem ad illorum se morem et consuetudinem loquendi sua verba accommodans fidem vocat) eam dicit sine charitate nihil prodesse. Et sicut hic istorum fidem vocat Iacobus mortuam: ita & illorum fidem vocat ibidem nullam. Vterque per imitationem fidem vocat, quæ fides non erat, & eodem modo vterque eam damnat: Et sicut de fidei & iustificationis nomine gloriantes, ita de gratiæ iustificantis ostentatione sine fructu bonorum operum superbientes similiter damnat Paulus. Vbi abundauit delictum, superabundauit gratia: verum: At si in peccato permanseris, tantum abest vt gratia ad te pertineat, vt omnis gratiæ expers, sub peccato captiuus, maledictioni & morti sis obnoxius. Tantum itaque abest vt aduersetur Paulo Iacobus, vt id ipsum pariter concordi sententia, & sentiant & dicant: Dum itaque ait Iacobus Abrahamum ex operibus iustificatum: perinde est ac si dicat: Noli te vana spe, & inani fidei ostentatione lactare: Noli temetipsum fallere.

1. Cor. 13.

Roma. 7.

Roma. 7.

Si Abrahæ fidem habes, cum fideli Abrahamo factis ostendito. Iustificatio & fides Abrahæ ex operibus declarata est: et tu, iustitiam, fidemq; tuã factis exprimito: Alioqui a fide & iustitia es alienus, cum hypocritis et infidelibus partẽ habiturus. Dũ itaque operibus Abrahamum iustificatum dicit Apostolus de fidei ipsius & iustificationis, per opera, & obedientiam subsecutam, testimonio, & declaratione, dumtaxat loquitur.

Ante quàm Ismael nasceretur, & ante natum Isaacum, decem & quatuor annos, Abrahamum fide iustificatum scriptura pronunciat, ne ex natiuitate filij, seu patris obedientia ad filium immolandũ iustificatus dicatur. Et prius quam se, vel filium circumcideret Ismahelem, annos tredecim iustificatus dicitur (nato Ismahele octoginta sex annorum, & in circumcisione nonaginta nouem annorum erat) ne quis circumcisionem iustificationis caussam dixerit. Et prius quàm lata erat lex, annis 430. iustificatus fide pronunciatur, ne ex lege, et operibus legis pẽderet iustificatio. Atque hæc omnia, diuina nimirum prouidentia facta sunt, vt agnoscerent omnium ætatum omnes homines: non aliũde hominem iustificari, quam sola dei misericordia, benignitate, et gratia propter Christum, per fidem, tanquã spiri

Gene. xv. xvi. & .21

Gene. xv. & . xxii.

Gala. 3.

rus sanc-

ritus sancti ea de re, indubitatum testimonium: quæ dum per charitatis opera se exerit: fidei & iustificationis, illa externum perhibent testimonium mundo. Vt fides, de dei erga nos beneuolentia, et iustificatione nostri, spiritus sācti, testimoniū nobis est internū. Ita gratiæ (quæ vocantur) et fidei opera, sunt iustificationis, & fidei nostræ externa declaratio. Huc referas quæcunque in scripturis iustificationem videntur operibus tribuere, et omnis tolletur difficultas. Ex iis nunc, quodam modo absolutū videri potest, quod pro sententiarum a patribus traditarum, & troporum scripturæ sacræ, conciliatione, in medium adduximus. Sola fide: operibus item: fide & operibus coniunctim, hominem iustificari, suis tamen locis, & gradibus: a quibus si deturbentur, aut semoueantur, neque fide eum sola, neque operibus, seu coniunctim, seu diuisim, iustificatū iri: Sed sola dei misericordia, gratia, & benignitate, per Christum: atque eius rei certos nos esse, spiritus testimonio sancti, quæ est fides: operibus, quæ a nobis exigit diuina lex, gratiæ et fidei, perhibentibus externum eius rei testimonium mundo. Deus itaq;, et Christus inquantum homo, et fides, et opera, et cō iunctim et singillatim, iustificare hominē dicuntur, sed suis locis, suisq; gradibus. Deus vt iustificator:

humāna

humana Christi, (quam ex virgine suscepit) natura, passio, mors, et resurrectio, vt medium per quod ipse dei filius, cum patre et spiritu sancto, in personarum trinitate vnus deus et dominus, absq; vlla iustitiæ aut æquitatis in iudicãdo iniuria hominẽ iustificat ex misericordia. Et quia idẽ ipse, dei et hominis filius, deus et homo, hanc nostri iustificationem nobis, et promeruit, et dedit: iustitiæ et iustificationis nostræ, principium, author, medium, et finis, absolutio, summa, et perfectio, iure appellatur. Fides, et opera, vt iustificationis acceptæ, de benigna misserentis dei manu, per Christum: testimonia: illa, menti, et cordi: Hæc, hominibus, et mundo. Si quis hũc ordinem inuerterit, et posteriora prioribus prætulerit, vel econuerso: quæ primo loco essent statuẽda, in postremo locauerit, obscura videbuntur et difficilia, quæ essent, si suis ponãtur locis, et gradibus, vel ipsa luce clariora. Fidelium iudicet ecclesia: quam, augeat in dies, et in omnem deducat veritatem, & tum iustitiæ, tũ misericordiæ, et bonitatis suæ, cognitionis plenitudinẽ, Christus Iesus, dominus, iustificator, et seruator. Cui cum patre et sancto spiritu, in personarũ trinitate, vni soli deo, et domino, laus, honor, gloria, gratiarũ actio, virtus, potestas, triũphus, et imperium, in omnia seculorum secula.

Amen.

BRITISH
15 JU 1920
MUSEUM

## Errata.

Fol.9.pag.1.ver.fi.in fine verſ.pro ad ne, lege id ne
Fol.11 pag.1.ver.3. pro finibream, lege fimbriã.
Ibidem ver.8.pro traditatem, lege tarditatem.
Fol.12.pag.2.ver.2.pro manum, lege manuum.
Fol.32.pag.2.ver.4.pro inchœmus, lege inchoemus
Fol.36.pag. 2. ver.14.pro deficatioris, lege defæcatioris.
Fol.46. pag.I.ver.6.pro totum ipſa da, lege totum ipſi da.

Finis.